Universidad de Deusto
Biblioteca

Danessius de causis
obscuritatis et de reme

Librería Pubill
LIBROS ANTIGUOS
Boters, 10-BARCELONA-2 (España)

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum inceſt
quid in ſi.
pliciter pe
tur. tam in
perpetuu
l. quod pr
ſbi. C. de i
nibus ſi in
cit. l. mino
tantum fu
i altera no
bic: alias v
ſimpliciter
verbo. ſig.
nes. ff. de ex
in titulo de
mo: ⁊ bic p
vetat nō.
c
lo
ſo
li
lo
ta

ꝺ ſup.ne
er.in reo i
beat abſol
ꝛ in.l.qui
bſoluitur
pbauit de
ſt gl. ſing.
di.¶ In
t tempore
ꝛ tunc re
nō poſſit
di. ꝛ in.l.
bar.in.l.i.

ota primo
ſita per re
intuitu di
n.and.bic

ocum qu
riptio
mita di
ngiſſin
non ba

Librería Puvill
LIBROS ANTIGUOS
Boters, 10-BARCELONA-2 (España)

Universidad de Deusto
Biblioteca

Libr
LIBR
Boters, 10-
Universidad de Deusto
Biblioteca

# PETRI IOANNIS NVNNESII VALENTINI ORATIO DE CAVSIS obſcuritatis Ariſtoteleæ, & de illarum remedijs.

*Eiuſdem liber de conſtitutione artis Dialecticæ: in quo exemplo Galeni docetur ex notione finis cur ſingula præcepta artis tradantur.*

Eiuſdem commentarius in conſtitutionem artis Dialecticæ: in quo profligantur omnes quęſtiones, quę uulgò in ſcholis de Dialectica diſputantur.

In ſilentio & ſpe.

VALENTIAE,
Typis Ioannis Mey, Flandri.
1554.

Libr
LIBR
Boters, 10-
Universidad de Deusto
Biblioteca

# PETRVS IOANNES NVNNESIVS VALENTINVS BERnardo Cimoni viro patritio & omnium φιλολόγων Mecœnati S. P. D.

POſteaquam renunciatus ſum cūctis ſuffragijs doctor publicus Dialecticæ & Philoſophiæ, mi Bernarde Cimon, nihil mihi prius faciēdum putaui, quàm ut de ciuibus meis benè mererer, & quod mei officij ratio poſtulabat, auditoribus Philoſophiæ prodeſſem. Quod me hac oratione conſecutum exiſtimo. Nam cùm plæroſq; auditores deterreri obſcuritate Ariſtotelis, & à ſtudijs Philoſophiæ abduci uiderem, neq; homines noſtros aliquod huic calamitati remedium afferre, ego meliori uoluntate, quàm facultate adiutus, cœpi mecum cogitare, qua ratione huic morbo tam deſperato remedium aliquod adhiberem. Itaque

omnes



omnes cauſas obſcuritatis Ariſtotelę collegi, & in cōmune contuli, ſperans fore, ut aliquid opis, atq; adeò lucis Peripateticæ Philoſophiæ ſtudioſis uidear attuliſſe. Neq; uerò eo conſilio hanc orationem habui, ut ſolus ego ſine præſidio cuiuſquam Philoſophiam Ariſtotelis multis & maximis obſtructam difficultatibus patefacerem, ac illuſtrarem, ſed ut quid mihi faciendum uideretur, apertè declararem. Nam quod in indice orationis pollicitus ſum de remedijs, ita accipiendum eſt, me eas cauſas obſcuritatis indicaturum fuiſſe, quas ſi uiri docti coniuncta opera illuſtrauiſſent, futurū certò ſperabam, ut inuoluta obſcuritas Philoſophiæ Peripateticæ euolueretur. Ac de mea quidem oratione hactenus. De libello autem quem de conſtitutione artis Dialecticæ inſcripſi, illud ſcito, me in eum omnia præcepta Dialecticæ methodo Analyſeωs contuliſſe. In quo Galenum ſecutus ſum. Nam quemadmodum ille in conſtitutione artis medicæ inuentionem totius artis, & ſingularū partium tradit, ſic ego ex fine Dialecticæ officia artificis, ex officijs

Libr
LIBR
Boters, 10
Universidad de Deusto
Biblioteca



inſtrumenta,ex inſtrumẽtis ſingulas partes
ac totam artem collegi. Sed quoniã metho
dus Analyſeωs quãtò cæteris præſtabilior
eſt ad inueniendam ueritatem,tãtò breuior
eſt & obſcurior, ne ipſa, quæ lumen rebus
omnibus adhibere ſolet, obſcuritatẽ & te-
nebras ſuæ parẽti Dialecticæ afferret,libel
lum de Conſtitutione Dialecticæ cõmenta
rijs illuſtraui. In quibus omnem rationem
mei conſilij diligẽter aperui, & cur ab alijs
diſſentirem,docui, ac eas omnes quęſtiones
quæ de elemẽtis Dialecticæ uulgò diſputa-
ri ſolent,profligaui,& penè ad exitũ addu-
xi. Has autẽ meas lucubrationes in tuo no-
mine apparere uolui,mi Bernarde Cimon,
ut meæ ſingularis in te obſeruantiæ,& gra
tæ animi uoluntatis pro tuis erga me mul-
tis & maximis meritis,tanquam ſignum &
teſtimonium aliquod extarent. Quas ſi tibi
placere ſenſero, maiora tibi,ut cupio, & de
beo, propediem præſtabo. Vale, &
me, ut ſoles, ama. Ex Biblio-
theca noſtra Valentina ad
4. Nõ. April.



# PETRI IOANNIS NVNNESII VALENTINI ORATIO DE CAVSIS *obſcuritatis Ariſtoteleæ, & de illarum remedijs.*

ANimaduerti, auditores
literatiſsimi, omnẽ ex-
ordiendi rationem ab
Ariſtotele uſurpatã tri
bus partibus contineri:
vna dignitatis, qua ho-
mines ingenioſi ad ſtu-
dia literarum mirabiliter incenduntur: uti-
litatis altera, qua ad inchoata ſtudia lõgius
prouehenda ſtudioſe excitantur: tertia dif-
ficultatis,qua ad artium cognitionem faci-
lius comprehendendam fiunt prõptiores.
Nam etſi dignitas cuiuſq; artis per ſeipſam
admirabilis eſt, & ſplendoris plena, ac uti-
litas omnium ſtudia magno applauſu ad ſe
allicit, tamen iſta ad artium perceptionem
non magnum afferunt adiumentum. At ue

Libr
LIBR
Boters, 10-
Universidad de Deusto
Biblioteca



rò difficultas notata multorum ſtudia commouit,ut remedijs magno labore quæſitis, artes præſtantiſsimas in obliuione diu iacentes excitarent:ut memoria noſtra Georgium Agricolam, qui erexit abiectam uim & naturam lapidum, metallorum,gemmarum,deniq; earum rerum,quæ aut ſua ſponte ex terra erumpũt, aut magna hominum contentione eruuntur: & reconditam menſurarum rationem ac ponderum in priſtinam reuocauit dignitatem. Vt Clau. Tolomæum, qui animaduerſis uiginti & tribus cauſis obſcuritatis in Vitruuio, effecit ſua diligentia, ut qui autor omniũ conſenſu obſcuriſsimus credebatur, à multis facillimus iudicetur, & ratio architecturæ uetuſtiſsima,quæ multis iam antea ſeculis perierat,à pleriſq; architectis nõ ſine magna laude & hominum admiratione exprimatur. Quorum ego ſtudijs inflammatus, inſtitui hac oratione nõ tam rationem aperire explicandi Ariſtotelis, quàm publicè cauſas obſcuritatis Ariſtoteleæ denunciare: vt ſi ego rudiſsimus omnium huius ſcholę huic morbo tam deſperato medicinam aliquam

facere



facere non poſſem,certè multorum uoluntates ad ſalutem ſcholę,& bonarum artiũ, imò reipub.quæ ſine his conſeruari nõ poteſt,incitarem. In quo ſi mihi aliquid arrogare uideor, meo officio condonãdum eſt. ſentio enim quàm exiguum ſit in me ingenium,& quàm mediocris exercitatio dicendi:ſed boni magiſtri officium eſſe exiſtimo, cùm cunctos auditores deſperatione difficultatis Ariſtoteleæ debilitari frangiq́ꝫ uideat, ferre opem miſeris, ſuccurrere ſcholæ,ſtudijsq́ꝫ cõmunibus, implorare doctorum fidem,publicam ſalutem ſuæ saluti anteponere. Illud etiam bonorum uirorũ & ſapientum eſſe arbitror, quales uos omnibus ſcholæ temporibus extitiſtis,intercludere omnes obſcuritatis artium uias, munire præſidia ſcholæ, ſummum in Ariſtotele firmamentum,ſummum in eius intelligentia ornamentũ putare: hanc qui iuuerit,laude potius & honore, quàm probris maledictisq́ꝫ dignũ iudicari. Quamobrem labor in hac obſcuritate denuncianda præcipuè meus eſt, ſtudium uerò adhibendi remedia commune mihi uobiſcum eſſe debebit. Sic



enim

Libr
LIBR
Boters, 10-
Universidad de Deusto
Biblioteca



enim exiſtimare debetis, auditores philoſo
phiæ ſtudioſiſsimi, poſt hominum noſtro-
rum memoriam, imò uerò poſt conditam
Valentinam Academiam, nullam oratio-
nem de philoſophia & literis ſcholæ utilio
rem, magis à uobis omnibus expetendam,
neq; excogitatam, neq; ſuſceptam, neq; uo-
bis inſpectantibus habitam fuiſſe. Agitur
enim nihil aliud in noſtra oratione, quàm
vt Ariſtotelis libri legantur, ut optimis ar-
tibus, optima ratione atq; uia non libri bar
barorum, & ſophiſtarum, ſed Ariſtotelis,
ſed omniũ liberalium artiũ parentis intelli
gantur: paruo labore, exiguo tempore au-
ditores noſtri dialecticæ & utriusq; philo-
ſophiæ ſcientiam & fructũ conſequantur.
Quæ cùm ita ſint, à Deo optimo maximo
primum, quod duos iam perpetuos annos
deprecatus ſum, poſtremum in hac utiliſsi
ma oratione deprecor, ut menti meæ publi
cam ſalutem procuranti, ueritatis & utilita
tis publicæ lumen præferat, ut rem tantam
tamq; grauem diligenter, accuratè, fideli-
ter explicare, & ante oculos ueſtros collo-
care, ac penitus quanta eſt, tantam exprime





re ualeam. Te quoq;, Gymnaſiarche inte-
gerrime, obteſtor & obſecro, quoniam uno
tempore & meę eruditionis exiſtimatio, &
diſciplinæ publicæ ſalus tuo iudicio per-
mittitur, adhibeas in tantæ rei cognitione
& auditione, diligentiam & ſapientiam, in
diſceptatione & iudicatione, iuſtitiã & ęqui
tatem, quas & omnes in te hactenus exper
ti ſumus, & muneris officijq; tui grauitas
ac religio poſtulat. Deinde, uos magiſtri
doctiſsimi, precor & quæſo, ut quoniã offi-
cio iuuandę ſcholæ mecũ coniuncti eſtis, in
hoc munere cognoſcẽdo exequendoq; tan
tam contentionẽ adhibeatis, ut oẽs nũc in-
telligãt, uobis nec ſapiẽtiam in hac re cog-
noſcẽda defuiſſe, nec in prouidẽda conſiliũ
nec in ſuſcipienda uoluntatem, neq; in con
ficienda probitatem & conſtantiam: quæ
tanta ſunt in uobis, quanta in omnibus reli
quis doctoribus quos aut uidimus, aut audi
uimus, non fuerunt. Poſtremò, uos audito-
res Ariſtotelis ſtudioſiſsimi, rogo, ut qui in
hoc gymnaſio corpore adeſtis, adſitis ani-
mo, menteſq; erigatis, & me de ueſtris cõ-
modis amicè & beneuolè diſputantem li-

Libr… LIB… Boters, 1…
Universidad de Deusto Biblioteca



benter audiatis. Dicendum eſt enim de cauſis obſcuritatis Ariſtoteleæ, & de illarũ remedijs: huius autem orationis difficilius eſt exitum, quàm principium inuenire. Nam cùm tres fuerint rationes ante Ariſtotelem obſcurandæ philoſophiæ: una poëtarum, ut Orphei & Homeri, qui inuolucris fabularum obſcuritatem & tenebras bonis artibus attulerunt: altera Pythagoreorum, qui numeris & figuris Mathematicis obſcuriſſimis homines ignaros ac ſtupidos à ſua familia reiecerunt: tertia Heracliti, qui quoniam de induſtria obſcuritatem affectauit, & σκοτεινὸς appellatus, & ab omnibus improbatus eſt: Ariſtoteles uir præſtanti ingenio non fabulis, non numeris, neq; figuris, quæ ille magno ſtudio labefactauerat, ſed quod magnopere mirandum eſt, ſingulari uerborum proprietate adeò philoſophiam dicendo obſcurauit, ut facilius ſit oraculi quàm illius ſententiam diuinare. Itaq; Græci interpretes illum ſphinga nominant: Themiſtius autem omnium præſtantiſsimus teſtatur longè aliter omnia decreta Ariſtotelis foras eſſe edita ab illo, quàm ſint domi tra

dita



dita, dementięq; ſimile eſſe, ſi quis legendis libris ipſius ſperet ſe illius ſententiam conſecuturum. Sed quid interpretes Græcos commemoro? ipſe de ſe locupletiſſimus eſt teſtis ſe edidiſſe acroamatica, ſed perinde tamen, vt niſi qui ab illo audierint, alij percipere non poſsint: tantum fuit in Ariſtotele ſtudium obſcurandę philoſophię. Sed multò plures cauſæ extrinſecus obſcuritatis acceſſerunt: ut ex uerſionum & interpretum negligentia, quæ multos errores in philoſophia crearunt. Ac ut rem omnem à principio ordine comprehendam, quemadmodum omnis oratio quatuor uirtutibus illuſtratur: rebus, inquam, & uerbis, rerum tractatione, atq; uerborum, eodem modo obſcuritatis eaſdem cauſas eſſe neceſſe eſt. Primum igitur de uerborũ obſcuritate dicendum eſt, quæ linguarũ eſt propria: tum de uerborum explicatione Grammatica: poſt de rerum tractatione dialectica, & ad extremum de rerum difficultate, quæ multarum artium cognitione continetur. Ac primum in uerbis multæ ſunt cauſæ obſcuritatis. Prima in textus Græci uarietate, quæ hinc

nata

Libr
LIB
Boters, 10
Universidad de Deusto
Biblioteca



nata eſt, ut Strabo & Plutarchus cõmemorant: Ariſtot. ſuã bibliothecam Theophraſto dedit, hic Neleo Scepſio tradidit, Neleus poſteris ſuis hominibus imperitis reliquit: qui libros tineis & ſitu corruptos grãdi pecunia Apelliconi Teïo vendiderunt: Apellicon librorum, quàm ſapientiæ cupidior, cùm hos vellet emendare, mutilos & multis locis mendis plenos edidit. Deinde expugnatis Athenis bibliotheca Apelliconis Romam translata eſt à Sylla, quam Tyrannio Grammaticus in ordinem digeſsit, & Andronicus Rhodius multa eius exemplaria in medium protulit, ſed à librarijs ut uulgò fit, corrupta, & deprauata. Hinc uarietas exemplariũ magnam attulit perturbationem eſſent ne hi libri Ariſtotelis, qui illius nomine circumferuntur, an à ſectatore aliquo ex illius libris cõgeſti? ſed de multis locis uarijs unum aut alterum citabo, ut res apertius intelligatur. Primo Poſterioris Analyſeως legitur in quodam exemplari: ſi Iſoſceli & Scaleno per aliquid cõmune conuenit habere angulos æquales duobus rectis, In alio legitur, æquales quatuor





rectis: utraq; tamen lectio probari poteſt. prior quidẽ de angulis internis, poſterior uerò de externis. Extremo capite Poſteriorum ſic legit Philoponus: ex experimento autem, & ex eo omni quod quieſcit in animo, uniuerſalis unius præter multa, intellige, fit cognitio. In alio exemplari legitur aliter, ex experimento autem ex toto uniuerſo, quod quieſcit in animo, aut uno præter multa, quod in omnibus unum fuerit idem artis principiũ fit atq; ſcientiæ. utraq; lectio probabilis eſt. Dices hæc uarietas nullam affert obſcuritatem, cùm utraq; lectio cõſentanea ſit ueritati. Fateor illud quidem: ſunt tamen aliquando inter ſe repugnantes. ut ultimo cap. περὶ ἑρμηνείας cùm explicat Ariſtot. ſextum argumẽtum, legitur de hac enunciatione non bonum nõ eſt bonum ἀληθὴς γὰρ ἄυτη. id eſt, ſiquidem hæc uera eſt: at Alexãder ſcribit legi οὐκ ἀληθὴς γὰρ ἄυτη. id eſt. neq; enim hæc uera eſt: Quæ maior obſcuritas excogitari poteſt, cùm textus inter ſe omnino repugnent? Vtile ergo eſſet uaria exemplaria Græca Ariſtotelis conſuli à uiris doctis, & inter ſe comparari, ut cũ

Lib LII Boters, 1
Universidad de Deusto Biblioteca



uarij occurrerent textus uerior lectio ap=
probaretur propoſitis argumentis & con=
iecturis, cæteræ notarētur tanquam minus
probabiles: omnes tamē uno libello deſcri
ptæ ſeparatim, ut liberum eſſet cuiuis ſequi
lectionem quam probaret. Atq; hæc obſcu
ritas ex uarietate textuum naſcitur: nec mi
nor exiſtit ex uarietate uocum, aut ſignifica
tionum. In illa polyonyma continētur, in
hac homonyma. Ac ut de polyonymis di-
cam, quid magis perturbatū, quàm multis
uocibus in eadem re uti? quaſi uidearis de
proprio nomine rei dubitare, ut cum Ariſt.
pro diffinitione dicit rationem, terminum,
ſubſtantiam, rationem ſubſtātiæ, quod quid
erat eſſe, uim & naturam, proprium. Quæ
ſingula uocabula, etſi non ſine conſilio ac-
commodata ſunt diffinitioni, tamen niſi ra
tio cuiusque ſeparatim explicetur, ſenſum
Ariſtotelis obſcurant: Quare edendus quo
que eſſet ſeorſum liber, in quo nomina quæ
idem ualent apud Ariſtotelem explicaren-
tur. Ex ambiguis uerò nominibus quàm
multi in Philoſophia errores oriuntur: ut
cùm de fine totius Logicæ diſputant in-
terpre



terpretes, finem eſſe affirmāt probabiliter
diſſerere: quoniam id ſcribit Ariſtoteles in
Topicis, neque uident eo loco Ariſtotelem
non de tota arte diſputare, ſed de facultate
tantum probabiliū, quam partem nomine
totius Dialecticam nominat. nam ut docet
Alexāder, quatuor ſunt ſignificationes dia
lecticæ: una, methodus diffiniendi & diui-
dendi, iudicio Platonis: altera, iudiciū quod
fit ſyllogiſmo tantum, de ſententia Stoico
rum: tertia, ars probabiliū, quam ſequitur
Ariſto. in Topicis: quarta, tota ars, quę cō-
plectitur ſyllogiſmos neceſſarios, probabi
les, & eos qui ueriſimiles uidentur. Cogni-
ta igitur diſtinctione Alexandri uides non
eſſe finē totius dialecticæ probabiliter diſ-
ſerere, ſed partis tantū cuiuſdam. Porro au
tem Ariſto. multorum nominum ambigui
tatem diligentiſsimè explicauit. 5. Meta-
phyſico. ſed cùm poſsit non pœnitenda fie
ri acceſsio, conferendæ ſunt omnes homo-
nymiæ in unum librum, ut falſa quæ in no
minum ambiguitate latent, declinētur. Ve
rùm in hac ambiguitate explicāda illud de
ſiderari uideo, ut certa methodo explice-
tur,

Lib
II
Boters,
Universidad de Deusto
Biblioteca



tur,quot modis quæq; uox ſignificare poſſit, ut uel ſi ſexcentę ſint uocis ſignificationes ad certa capita reuocētur. Sunt autem (quantum ego obſeruare potui)apud Philoſophos decem tantum genera ſignificandi: unum proprium, & nouem impropria. Nouem autem hæc ſunt:aut uſurpant cauſam pro effectu,ut Ariſto.1.de animo ueritatem pro philoſophia contemplationis dicit, &.1.Topico quæſtiones ueritatis, pro quæſtionibus philoſophiæ Theoricæ, finē pro inſtrumēto uſurpat: Aut effectum pro cauſa, ut cùm appellant Peripatetici ſolem calidum, & lunam frigidam, non quòd ſol calidus ſit,aut luna frigida,ſed quòd ille calefaciat,hæc uerò refrigeret: Aut rem ſubiectam pro adiuncta,ut cùm dicunt Philoſophi mutato tempore & loco, hominum temperationem mutari: non quòd tempus & locus aliquid efficiant, ſed de acceſſu & receſſu ſolis intelligendum eſt, qui fiunt in tempore, & mutant hominum temperationes: aut de aëre, qui eſt in loco cuius uariæ qualitates uariè commutant homines: Aut res adiuncta transfertur ad ſubiectam, ut





cùm Philoſophi morales noſtras actiones tribuunt uirtutibus & vitijs. qua ſignificatione quod propriũ uoluntatis transferũt ad uirtutes & uitia: quia in uoluntate tanquam in re ſubiecta uirtutes ineſſe cernuntur. Vt cùm Ariſto.5.Phyſico moueri accidentia fortuitò,quia inſunt in ſubſtantijs: aut ſimile nomen ponitur pro re ſimili, vt cùm uocat Ariſtot. diffinitionem terminũ, & Plato terram cubum,non quòd eam formam arbitretur,qui ſphæricam eſſe demōſtrauit, ſed ut ſimilitudine cubi ſtatum terræ firmiſsimum declaret. Hoc ferè tropo & Poëtæ,& Pythagorei,& Platonici multa dogmata ſua explicarunt: Aut cùm pars pro toto ponitur,ut iudiciũ quod fit ſyllogiſmo tantũ pro tota diſpoſitione, quæ fit ſyllogiſmo & methodo: & cùm analytica uocat Ariſtot. priora ab una tantum parte quæ præſtantiſsima eſt,nempe à reſolutione: Aut totũ pro parte,ut Philoſophia ponitur ab Ariſto.2.Phyſico pro ſola Metaphyſica,ut logica & dialectica quæ ponuntur ab Ariſt.pro ſola facultate probabiliũ: Aut genus pro ſpecie, ut inuētio quę com-

Lib
Universidad de Deusto Biblioteca



munis eſt multarum artium pro ſola Dialectica inuentione, quia maiori labore inueniuntur argumenta ex locis, quàm reliquæ res aliunde: cùm loci uacui ſint, argumenta autē aliunde ſumantur, ut ex ſingulis artibus, ex ingenio, & ex longo rerum uſu, à locis uerò ſolum indicentur: Aut tandem ſpecies ponitur pro genere, ut ignoratio elenchi pro omni fallacia, & generatio in libris de ortu & interitu, pro omni motu quo acquiritur noua forma, ſiue ſit ſubſtantia, ut in ortu, ſiue quātitas ut in acceſſione, ſiue qualitas ut in cōmutatione, ſiue locus ut in loci mutatione. Atq; his decem generibus ſignificationū notatis facile erit certa methodo ordine alphabetico notare uarias ſignificationes vocum ambiguarū. Scripſerant de hoc argumento Theophraſtus & Eudemus, & Stoici quæ tamen iniuria temporum perierūt. Sed Haganus Velſius ſe hoc beneficium collaturum pollicetur. Iam uerò uel ſi textus uarij non eſſent, nec uaria nomina, neq; uariæ ſignificationes, tamen ea eſt ſermonis Græci proprietas in Ariſtotele ut magnam ſæpe afferat





difficultatem. Quam rem ſatis declarat uel unū nomen ἐντελεχέιας cuius ignorata proprietate magnæ excitātur tragœdię: ut quî fieri poſsit ut idem ſit genus motus & animi, cùm motus ſit actus imperfectus, animus uerò perfectus. Quid autem comminiſcitur Philoponus in Etymologia huius nominis, qui putat dici ἐντελεχέιαν ἀπὸ τοῦ ἓν, id eſt, unū, & τέλειον quod eſt perfectum, & ἔχειν quod eſt habere, quaſi vnionem & perfectionē cōtineat. Non uidet ex Grammaticis regulis, Grāmaticus tamen cognomento, cum aſpiretur nomen ἓν, nō potuiſſe nomen ἐντελεχέιας quod leuigatur, illinc deriuari? At Themiſtius habitū perfectionis, aut ut uertit Hermolaus perfecti habiam interpretatur: & Simplicius eſſentiā habere in perfectione poſitam. Sed neuter apertè expreſsit, quî poſsit hoc nomen motui & animo conuenire. Latini uerò quàm eleganter expreſſerint uim nominis actum conuertētes Philoſophorum eſto iudiciū. Nam etſi Plato plerunq; & Ariſtoteles ἐντελεχέιαν ἀντὶ τῆς ἐνεργέιας uſurpant, tamē ſi animum actum appelles eandem rem &

Lib
Boters
Universidad de Deusto
Biblioteca



cauſam & effectum eadem cõparatione uocabis: quo nihil abſurdius poteſt excogitari, cùm ex hac ſententia efficiatur, ut homo eadem hora cæcus & uidens dicatur, ſi tota animi uis & natura in actione poſita eſt, & animus accedat atq; recedat ſine interitu rei ſubiectæ tanquam accidens uariũ & cõmutabile: ac ut breui omnia abſurda in unum conferam, ut animus noſter nõ ſubſtantia & natura, ſed accidens nominetur. In eandem reprehenſionẽ incurrit M. Tullius q prima ſchola Tuſculana ἐντελεχέιαν continuatam motionẽ uertit: quia legerat fortaſſe ἐνδελεχέιαν cum. δ. non. τ. ſcriptam, & in Phædone animum perenni motione agitari. Hæc noſſe multũ refert: nam ignorato genere, naturam motus & animi ignorari neceſſe eſt. Ariſtoteles igitur propriè ἐντελεχέιαν appellat perfectionem rei alicuius motu comparatam: quam etiam in libris de ortu ἕξιν uocat, qualis eſt animus, qui eſt firma & conſtans ἕξις corporis motu acquiſita. Motum autem ἐντελεχέιαν nominat, quia tendit ad ἕξιν, aut certè ἐντελεχέιαν non omnino, ſed eius rei quę eſt potẽtia.



tia. Neque uerò minor obſcuritas orta eſt ignoratione uocis Græcæ στοῖχος cap. 7. περὶ ἑρμηνείας cùm ait Ariſto. quarum duæ affectæ ſunt ad affirmationem & negationem, ut priuationes κατὰ τὸν στοῖχον, duę uerò non. Quo loco cùm apertè Ariſtoteles demonſtret propoſitum ſibi eſſe de numero repugnantiarum diſputare: interpretes tamen omnes & Græci & Latini mutato conſilio locum explicant de conſequentia: nec uident turpiſsimũ in Ariſtotele fuiſſe, alienum aliquid à diſputatione afferre: præſertim cùm de conſequentijs ſequenti loco ſeparatim diſputet, & copioſè. Cuius loci obſcuritate adeò deterritus eſt Ammonius ut ſcribat σφιγγὸς μὲν κελαινῆς κατὰ τὴν Λυκόφρονος γῆρυν ἐκμιμούμενος πολλὰ δὲ πράγματα τοῖς ἐξηγηταῖς παρασχὼν, & quę ſequuntur. At ſi Ariſtotelis propoſitum & proprietatẽ ſermonis Græci obſeruaſſent, locum intellexiſſent: στοῖχος enim ſignificat quincuncem. unde Ariſtophanes ait ἔστην κατὰ τὸν στοῖχον, id eſt, ſteti iuxta quincuncem. Ariſto. itaque ſumpta metaphora ab oleis & uitibus, quæ ſeruntur forma quin-

 cuncis

Universidad de Deusto Biblioteca



cuncis, docet quomodo fiant enũtiationes attributi infiniti ex ſimplicibus ut priuantes per quincuncem. quaſi dicat, quemadmodum in quincunce duæ oleę ex æquo diſtant à tertia cõmuni, ſic affirmatio & negatio tranſpoſita & priuans ex æquo diſtant, & fiunt ex ſimplici pronũciato poſtpoſita negatione uerbo. Quid magis propriũ ſermonis Græci, quàm quod legitur extremo capite περὶ ἑρμηνείας his uerbis. Hæc enunciatio omne bonum eſt bonum, non differt ab hac, bonum eſt bonum : qui locus falſus eſt, niſi proprietas Græci ſermonis adhibeatur. Nam prępoſitus articulus rei ſubiectæ idẽ ualet quod nota omnis: ut τὸ ἀγαθὸν idem quod πᾶν ἀγαθὸν. Quò fit, ut attributo uerè addi non poſsit, præſertim ſi affirmet enunciatio. Quid cum Ariſto. tertia ſectione primi priorũ negat hunc eſſe bonum ſyllogiſmũ, animal eſt ſubſtantia : homo eſt animal : ergo homo eſt ſubſtantia? nónne enunciationes ueræ ſunt? & collocatio proba? cùm enunciationes indefinitæ in rebus neceſſarijs idem ualeant quod uniuerſæ; quaſi dicat, omne animal eſt ſub-





ſtantia: omnis homo eſt animal: omnis igitur homo eſt ſubſtantia. At ille negat bonum eſſe ſyllogiſmum: id facit ex proprietate Græci ſermonis. Nam quia rem ſubiectam ſine articulis expreſsit, idem ualent quod ſpeciales. quaſi dicat, aliquod animal eſt ſubſtantia: quidã homo eſt animal: ergo quidã homo eſt ſubſtantia: quæ quanquam ueræ ſunt, ſyllogiſmus tamen ex puris proprijs & in parte concludi nõ potuit. In Elenchis uerò quanta eſt uerborũ proprietas: pręſertim in ijs fallacijs quæ in uerbo accidunt: quę cùm ad nos transferũtur, non retinẽt eandem ſententiam. Quamobrem meritò à Luſitano quodã doctiſsimo in Elenchis tralatio uetus tralationi Perionij anteponitur, quòd Perionius Græcas ambiguitates conuertit, quę Latinè nõ intelligũtur: quas aut Græcè retinuiſſe oportebat, aut, ut fecit uetus interpres, quod pręſtabilius eſt, in exempla Latinorũ mutaſſe: ut Vergilij, & Horatij: quæ & illuſtriora ſunt, & facilius à Latinis pręſertim auditoribus intelliguntur. Illud uerò quod extremo capite librorum de ortu & interitu af-

ſert Ariſto. diuerſa ſunt fore & futurũ eſſe, quî poteſt ſine proprietate Græci ſermonis percipi, cùm Latinè nulla ſit inter has uoces diſsimilitudo, Græcè uerò maxima? Nam ἔσεσθαι ſignificat rem futuram neceſſariò, μέλλειν autem rem quæ poſsit eſſe & non eſſe. At iſta diſsimilitudine tota quæſtio eius capitis ab Ariſtotele, imò quæſtio obſcuriſsima de futuris contingentibus ab interpretibus Græcis explicatur. Sed quid multa commemoro? qui Græcè ſcripſit, & admodũ propriè ignorata proprietate Græci ſermonis, obſcuretur quoq; neceſſe eſt. Totũ Ariſtotelem recitare oporteret, ſi huius rei ratio plenè eſſet à me exprimẽda. Sed ſatis ſit in ſingulis obſcuritatibus aliquot exempla protuliſſe. Huic obſcuritati præclarum ſanè lumen noſtri homines attulerunt: Græcum (inquiunt) eſt, non legitur. Præſtabilius eſſet uirum Græcè luculenter doctum, & in Ariſtotele multum exercitatũ in breuiſsimo libello ordine alphabetico omnes uoces annotare, quæ apud Ariſtotelem tantam habent proprietatem, ut Latinè uix ac ne uix quidẽ cõuerti





poſsint. In quibus explicaret etymon cuiuſq; vocis, & quæ ex illa deriuarẽtur, qua ſignificatione ea uoce ante Ariſtotelẽ alij ſcriptores uſi fuiſſent, & quibus uerbis Latinis appoſitè exprimi poſſet: ut hac diligẽtia adhibita, nullus obſcuritati locus relinqueretur. Annectenda quoque huic eſt alia cauſa maxima obſcuritatis in uerborũ proprietate poſita, quibus uſi ſunt Philoſophi quos reprehendit Ariſtoteles. Nam cùm non tam ſententiam, quàm illorum uerba reprehendat, ut Græci interpretes aſſerũt, fit ut niſi illorum uerba intelligantur, refutatio non poſsit percipi: ſed de multis unũ citabo. Ait Ariſtoteles tertio de cœlo, reprehendens figuras Platonis. Sed poſitiones quaſdam ſumunt, ut amici Mathematici, & quæ ſequuntur. Quo loco mirum eſt quàm perturbentur Latini interpretes ignorato nomine poſitionũ Platonico. Platonici enim poſitiones uocant eas enunciationes, quæ et ſi cauſæ effectuum non ſunt, fingi tamen & explicari ut cauſæ poſſunt: quia cum effectis conueniunt: cuius generis eſt argumentum Nicolai Copernici.



Universidad de Deusto Biblioteca
Lib

Lib
Boters, 1
Universidad de Deusto Biblioteca



Nam motus terræ & ſtatus cœli non ſunt
cauſæ phænomenων cœleſtium, ſed quia
cum illis principijs bene conueniunt ἀπο-
τελέσματα, tanquam omniũ phænomenων
cauſas explicauit: At homines noſtri dum
inutilia credunt ea eſſe quæ ab Ariſtotele
reprehenduntur, hanc intelligentiam uo-
cum neglexerunt: utiliſsimum tamẽ foret,
cùm ferè tota philoſophia Ariſtotelis in re
prehẽdendis philoſophis conſumatur, uo-
ces omnes per ſe explicare, quibus quiſque
Philoſophus in ſua familia utatur. Dicat
aliquis: Iam ſunt omnia ad nos conuerſa à
uiris utriuſq; linguæ peritiſsimis: ut olim à
Boëtio, noſtra uerò ætate à Perionio, quid
opus eſt iſta tua diligentia? De Boëtij trala
tione, ſi tamen illius eſt, hoc unum pronun
ciabo illam in philoſophia multos errores
creaſſe. Nam cũ in ea multa ſuperſint, plu-
ra deſint, plurima ſint mutata, & quod om
nium peſsimũ eſt, multa quæ affirmatè in
Ariſtotele leguntur, in negationẽ conuer-
ſa, ac uiciſsim, neceſſe eſt omnes interpre-
tes, qui hanc uerſionẽ ſunt ſequuti, in ſex-
centas opiniones contrarias Ariſtoteli in-
cidiſſe.





cidiſſe: de quibus ne infinitũ ſit omnes per-
ſequi, aliquot tantum ex poſteriori analyſi
indicabo: in quo libro ſumma totius Logi
cæ collocatur. Ac primum cap. 7. primi li-
bri ſic legunt uetus interpres & doctores
eum ſequuti: unumquodq; autem ſecũdum
accidens eſt, cùm ſecundũ illud non cogno
ſcimus. Ariſtoteles uerò ſic contrario pla-
nè ſenſu: vnumquodq; autem ſecundum ac
cidens non cognoſcimus, cùm ſecundũ il-
lud cognoſcimus. Capite ſequenti quod af
firmat Ariſto. fieri poſſe, negant omnino
uetus interpres & doctores Latini. Nam
cùm Ariſto. pronunciet, & exemplo confir
met poſſe aliquam concluſionem ex princi
pio contradictionis demonſtrari, Latinus
interpres ſic loquitur. Non contingere au-
tem ſimul affirmare & negare neq; una re-
cipit demonſtratio. Quem locum ſic expli
cant Latini ut aſſerant nullam demonſtra
tionem uti principio cõtradictionis. Dici-
te quæſo Dialectici, nónne ſunt hæ cõtra-
dicentes? Ait Ariſto. aliqua demonſtratio
recipit principium contradictionis, cõmen
tantur doctores Latini: nulla demonſtra-
tio acci

Lib
Boters,
Universidad de Deusto
Biblioteca



tio accipit principium contradictionis. Pe
nultimo capite legunt uetus tralatio & do
ctores Latini: qualiter igitur eſt idem opi-
nari & ſcire, Ariſtoteles uerò quomodo igi
tur non licet idem opinari & ſcire. Autor
negat eſſe idem opinari & ſcire, interpres
affirmat: quis iſtis interpretibus credat? Ca
pite. 17. libri ſecundi legũt uetus interpres
& doctores Latini: ſi igitur nõ, ſimul itaq;
erunt. Ariſto. uerò, ſi igitur ſic, ſimul itaq;
erũt. nõ & ſic eſt ſumma rerũ contradictio
ut iam nõ ſit inter nos quæſtio de nomine,
ut uulgò dicũt, ſed de ſumma rerũ cõtradi
ctione. Eodem capite ſic legũt uetus inter
pres & doctores Latini: Aut ſiquidem per
ſe demõſtretur, aut nõ, ſed ſecundũ ſignũ,
aut accidens. Ariſto. autẽ legit cõtra & nõ
ſecundũ ſignum, aut accidens. Quæ magis
repugnãtia? Ariſt. ait nõ ſecundum ſignũ,
aut accidens, interpres explicat, ſed ſecun-
dum ſignum, aut accidens? Et paulò infra
legit uetus interpres: imò uidentur proble
mata eſſe, cùm apud Ariſtotelem legatur,
atqui non uidentur problemata eſſe. Quæ
magis contradicentia excogitari poſſunt?

Nam



Nam quid ego repetam libros Phyſicos,
de ortu & interitu, de animo, Metaphyſi-
cos, in quibus nullus eſt ferè locus, qui non
ſit ab interprete deprauatus, ut neceſſe ſit
eos qui hanc uerſionem ſequuntur in erro
re perpetuo uerſari. Nam exceptis libris
περὶ ἑρμηνείας & de cœlo, qui quoniã benè
conuerſi, & cum doctis cõmentarijs ad ma
nus Latinorum peruenerunt, diligẽter &
fideliter ab illis explicati ſunt: reliqui libri
ita corrupti ſunt ab interprete, ut eius erro
re oẽs cõmentatores Latinos duci neceſſe
fuerit. Requiretis fortaſſe quid ſit quòd ue
terem tralationem reprehendam, cùm om
nes uerſionem Perionij ſequãtur. Sequun-
tur, ſed ita ſequuntur, ut ad explicandum
Ariſtotelem Latinos conſulant cõmenta-
rios, aut Arabicos, qui non uerum textum
Ariſtotelis, ſed tralationem ueterem expli
carunt. Quod ſi pertinaciter Perioniũ ſe-
quantur, ſciant me primum Perionium in
ſcholas inuexiſſe, & curaſſe ut cum meis ar
gumentis publicè excuderetur, quia eius
tralationem reliquis anteponẽdam cenſeo:
tamen illud mihi integrum eſſe uoluiſſe, ut

ſi qui

Lib
Boters,
Universidad de Deusto
Biblioteca



ſi qui locus paulò negligentius eſſet à Perionio cõuerſus, aut ſumma cum libertate, publicè pronunciarem : ut capite de genere, cùm utile ſit noſſe uarias ſignificationes huius uocis ſimpliciter, contēpta ambiguitate nominis conuertit genus & ſpecies nõ uno modo dicuntur: cui textui non conuenit explicatio uocis ambiguæ, quæ affertur ab Ammonio. Capite uerò de differentia εἰδικὸς uertit ſingularis, cũ doceat ibi Porphyrius ſpeciem conſtare ex genere & differentia, ut homo εἰδικὸς, id eſt, ſpecialis, nõ ſingularis. In categorijs capite de relatis, cùm Ariſtoteles duas afferat relatorũ deſcriptiones, quarum prior per τὸ λέγεσθαι, id eſt, dici explicatur: poſterior per τὸ εἶναι, id eſt, eſſe priorem ſic uertit, ut nõ expreſſo uerbo λέγεσθαι eadem cũ poſteriori eſſe uideatur. Capite autem de qualitate, δρομικοὺς καὶ πυκτικοὺς uertit curſores & pugiles, cùm hæc ſint nomina habituum, Gręca uerò naturalem uim & facultatem quæ ſecunda ſpecies qualitatis eſt declarẽt. In ijs autem quæ poſt categorias docentur, cùm explicat tertiam ſignificationẽ prioris ſic

loqui



loquitur: Initia & elementa priora ſunt ijs quæ deſcribuntur : quo loco διαγράμματα uertit, ut uetus interpres, ineptè & ſine ſenſu ea quæ deſcribuntur, cùm ex Cicerone potuiſſet apertius uertere lineamenta, aut, ut omnes uulgò loquimur, figuras. Quaſi dicat Ariſtoteles elemẽta Geometriæ, quæ ſunt diffinitiones, poſtulata, & dignitates priora ſunt figuris geometricis: quę in problematis & theorematis explicantur. At in libro περὶ ἑρμηνείας totum caput de futuris contingẽtibus perturbat. Nam cùm Ariſtoteles tantum diſſerat de enunciationibus fortuitis, non de neceſſarijs, & ijs quæ fieri nõ poſſunt, ipſe uertit μέλλουσι futuris, quaſi diſputet Ariſto. de futuris ſingularibus cuiuſuis materiæ, cùm μέλλουσι ſignificet tantum futura fortuita, ut Ammonius admonet, & Ariſto. in libris de ortu & interitu declarat. Extremo uerò capite περὶ ἑρμηνείας totam quęſtionẽ perturbat. Nam cùm Ariſt. diſputet utra magis aduerſa ſit affirmationi ſimplici affirmatio contrarij attributi, an negatio ſimplex, non utra magis oppoſita, ipſe quaſi Græcè legatur ἀν-

τικειμένη

τικειμένων exiſtimauit quæſtionē eſſe de toto
genere oppoſitionis, & uertit utra magis
contraria, cùm Græcè conſenſu omnium
textuum, & interpretum quæſtio ponatur
πότερα μᾶλλον ἐναντία, id eſt, utra magis ſit
aduerſa, quæ quæſtio non eſt de toto gene-
re oppoſitionis, ſed de ſpecie quadam, nem
pe de aduerſis. Quid uerò magis à ueritate
alienū quàm quod primo poſteriorū ἀξιώ-
ματα cōuertit poſtulata, quaſi eiuſdem gene
ris ſint principiorum poſtulata, & dignita-
tes: cùm & Euclides ἀξιώματα à poſtulatis
& diffinitionibus diſtinguat, & Ariſtoteles
quem ipſe conuertit, multū differre demon
ſtret. Inquirerem plura diligēter in Perio-
nium niſi uererer moleſtam eſſe eius homi
nis reprehenſionem, qui primus literis La
tinis noſtro ſeculo Philoſophiam illuſtra-
uit. Sed hęc non eo conſilio à me dicuntur,
ut Perionium reprehendam, cui agnoſco
& confiteor Philoſophiam Latinam refe-
rendam eſſe acceptam, ſed ut omnes intelli
gant parū eſſe confidendum uerſionibus,
& Perionium arreptum incredibili ſtudio
orationis Ciceronianę aliqua mutaſſe, quæ





melius fuiſſet retinere ut erāt in ueteri tra-
latione, quod à me ſupra explicatum eſt.
Quod igitur huic uarietati uerſionū adhi-
bebitur remedium? Veterem, aiunt, trala-
tionem ſequamur: nam iſtę nouę paraphra
ſticæ ſunt, & cum Latinis cōmentarijs nō
conueniunt. Quam quęſo paraphraſim uo
cas? Nónne orationem paulò prolixiorem
contextu? at Perionius multò preſsior eſt
ueteri interprete, cùm locus & tempus id
poſtulant. Quod cùm multis locis poſsit à
me cōfirmari, duos tantùm notiſsimos ex
præfatione Porphyrij indicabo. Sic igitur
ait uetus interpres: compendioſam tibi tra
ditionem faciens tentabo breuiter introdu
ctionis modo, & quæ ſequuntur. Quæ tria
cùm obſeruaſſet Perionius idem ſignifica-
re tantùm uertit, inſtitui breuiter expone-
re. In eadem præfatione cùm ponit quęſtio
nes Porphyrius, ſic ait uetus interpres:
mox de generibus & ſpeciebus illud quidē
ſiue ſubſiſtant, ſiue in ſolis nudis, puriſq́ue
intellectibus poſita ſint, ſiue ſubſtātia, ſiue
corporalia, an incorporalia ſint: in quo lo-
co unam quęſtionem addidit de ſuo: ſint'ne



Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca



uniuerſalia ſubſtantiæ, quæ non legitur in Porphyrio. Item adiunxit puris, quæ uox occaſionem puram & ſimplicem præbuit Alberto Magno peccandi: Non ſine myſterio, ait, ſolis dixit propter intellectum humanũ, nudis propter angelicum, puris propter diuinum. quod myſteriũ Porphyrius nunquam ſomniauit. At Perionius ſine his uocibus ſic locum conuertit. Ac primum de generibus & formis cohęreant ne ipſa per ſe, an in ſolis animis ſint, & ſi cohęreant per ſe, utrum corporea, an corporis expertia? Vter igitur altero breuior? Perionius'ne, qui nihil addit, an ille qui multa comminiſcitur? Perionius certè paraphraſtes nõ eſt: niſi paraphraſim uoces proprietatem ſermonis & elegantiam. Quare utile eſſet utraq; tralatione comparata notare quantum quiſq; peccaſſet addendo, detrahendo, mutando, ut quæ uerior uerſio eſſet probaretur falſa repudiata, & errores obſeruarētur, qui in philoſophia ex mala uerſione nati fuiſſent. At dices, quanquam Perionius non eſt paraphraſtes, tamen illius tralatio non conuenit cum commentarijs.

Huic



Huic rei magnum afferrent adiumentum, qui edito libello obſeruarēt, quę uoces barbaræ interpretum quibus Latinis reſponderent: quod quanquam Perionius feciſſe uidetur in libro de optimo genere interpretandi, tamen nõ pœnitenda poteſt fieri additio, ſi declarentur potiſsimũ eæ uoces, quarum ſignificatio planè mutatur à Perionio. Huic diligentię addi poſſent aliquę uoces, quibus parum Latinè Perionius utitur: ut cùm unionem pro unitate dicit, cùm unio gemmam ſolum apud Latinos declaret, unitas uerò à Celſo & Plinio pro principio numerorum uſurpetur. Sed quid iuuerit textus emēdaſſe, ſi uulgò citantur mutili, & deprauati, præſertim à cõmentatoribus Latinis: ut locus ex quinto Metaphyſico à facilioribus eſt auſpicandum. citatur enim mutilus, cũ ſic legatur. Non à primo ac rei principio aliquãdo inchoandum eſt, ſed unde quis facilius diſcat: nec explicant quando à facilioribus ſit auſpicandũ: quod tamen fit, cùm ſine ijs poſteriora non poſſunt intelligi. Et ex quarto Metaphyſico citatur hic locus: Ens eſt analogũ, cùm Ariſtoteles

Universidad de Deusto Biblioteca



ſtoteles apertè dicat, id quod eſt ab uno & ad unum dicitur, ut ſalubre & medicũ. Sed ab uno & ad unum idem, inquiunt, ſignificat quod analogũ. id erat ab illis prius demonſtrãdum, deinde mutandus textus Ariſtotelis. Ariſtoteles enim primo Ethico diſputans de bono quomodo dicatur, facit hos tres modos homonymiæ diuerſos à fortuna, ab uno & ad unum, & ſecundum analogiã: & collocat analogiam quemadmodum Euclides lib. 5. in quatuor minimum rebus præſertim cùm diſiuncta eſt: ut in aſpectu, corpore, mente, & animo: at id quod eſt cõparatur tantum cum ſubſtantia & accidentibus: quare nõ eſt analogũ, neq; id in Ariſtotele legitur: niſi quod quiſque ſentit, pro Ariſtotele citet. Et quoniã multa uulgò dicuntur in ſcholis, quæ non poſſunt intelligi: quales multæ diſtinctiones, ſed bona tantũ fide tanquam à picis recitantur, fructuoſus quoq; eſſet hic labor, ſi quis hæc omnia Alphabetico ordine notata alijs uerbis magis perſpicuis explicaret: quibus aut Ariſtoteles Latinus, aut boni interpretes utantur. Occurrat aliquis: hæc ſunt

uocabula



uocabula artium, non debent mutari. Ego uocabula artis nõ cenſeo mutanda eſſe, ſed apertioribus uocabulis explicari poſtulo: ut cùm quidditatis & eſſentiæ nomen frequens in ſchola audiatur, requiro ut quid eſſentia ſit apertius explicetur: hoc modo. Eſſentia ſeu quidditas nihil aliud eſt, quàm coniunctio partium eſſentialium, quæ rem efficiũt: ut in homine corporis & animi qui particeps eſt rationis. In rebus uerò quę carent corpore cõcurſus cauſæ efficientis & finis: ut quidditas logicæ eſt ars diſſerendi. nam quidditas nihil aliud eſt, quàm hoc ipſum quod res eſt: res autem corporea nihil aliud eſt, quàm partes illius naturales & efficientes ſimul ſumptæ: & quę uacat corpore nihil aliud, quàm finis & efficiens cõiuncta. Quare uerè expreſſa eſt ſignificatio quidditatis. Item in diſtinctionibus: ut quæ uocetur dialectica docẽs, & quæ utens. Docentem uocamus pręcepta ſola abſq; exemplis: ut ſyllogiſmus conſtat propoſitione, aſſumptione, & complexione. Vtentem autem exempla: quales ſunt ſyllogiſmi, qui in ſingulis artibus fiunt: ut in Phyſiologia

 id quod

Universidad de Deusto Biblioteca



id quod per ſe mouetur, immortale eſt: animus autē per ſe mouetur: eſt igitur immortalis. Docentem uocāt Græci auulſam à rebus, utentem cum rebus coniunctam. quæ ſi noſtri homines nouiſſent, nō pronunciaſſent dialecticam docentem partem eſſe philoſophiæ, cùm ſit à rebus auulſa, cum quibus tamē coniunctam eſſe oportebat: neq; utentem inſtrumētum, cùm ſit omne inſtrumentū auulſum planè ab ijs rebus, ad quas adhibetur. Nec ſolum ſingulæ uoces & diſtinctiones explicandæ ſunt apertius, uerū etiam tota oratio ſi quando obſcura occurreret. Sed nimium prouehor ſtudio ſcholæ iuuandę. Vtile ergo eſſet uoces oēs obſcuras, & diſtinctiones ſcholaſticas, & orationes integras apertius in libello quodā ſeparatim explicari. Adhuc de uerbis dixi, nūc de Grāmatica uerborū tractatiōe dicendū eſt: ut quæ deſint in ſyntaxi Ariſtotelis: ut initio Priorum: primum dicere circa quid, & de quo eſt inſtituta diſputatio. Intelligēdum more Attico, oportet. Et quæ ſuperſint ut quæ dicuntur ab interpretibus ἐκ τοῦ παραλλήλου: ut uerbum uidetur, in ſentētijs

planè



planè certis & neceſſarijs, ut Porphyrius uidentur genus & ſpecies non dici ſimpliciter: quo loco redundat uidetur. & Ariſto. 1. Ethico. omnis ars, doctrina, ſtudiū, actio ad bonū aliquod referri uidentur. quaſi dicat referuntur. Et quæ ſint hyperbata. Sed quoniam ferè Græci interpretes Ariſtotelis Grammatici profeſsione fuerūt, minus hæc pars diligētiam noſtrā poſtulat. Tertia pars huius noſtræ diſputationis inſtitutæ tota eſt de tractatione rerum. In qua primum uidendum eſt quibus argumētis utatur Ariſto. cauſis'ne & effectis, quæ ille reliquis anteponēda cenſet, an ſubiectis, & adiunctis, contrarijs, comparatione, etymologia, teſtimonijs & reliquis quæ probabilia eſſe credit: qua re neglecta non intelligitur in quo ſita ſit uis argumenti & diſputationis. Etenim cùm Ariſto. plærunq; diſputet in contrarias partes, idq; proprium ſit inuentionis dialecticæ & locorū, ut idem in Topicis demonſtrat, relinquitur profectò ut non intelligatur Ariſtoteles niſi ab eo qui inuentionē & locos notarit. At clamitant continuò homines ſtupidi hanc inuen-



tionem

Universidad de Deusto Biblioteca



tionem oratoriam eſſe atq; inutilem. qua ſi uerò præcepta Topica Rhetoricæ ſint, nõ Dialecticæ artis, & inutile ſit ijs præſidijs munitũ eſſe, quibus inſtructus Ariſtoteles copiam argumentorũ & facultatem diſputandi in cõtrarias partes ſibi comparauit. Deinde illud obſeruãdum eſt num tractet Ariſto. argumẽta inductione, an ſyllogiſmo, an utraq; argumentatione, quod facit frequenter. Tum ſi ſyllogiſmo categorico'ne, an hypothetico. Si categorico; cuius figuræ, & modi: quę dum negligunt interpretes, obſcuriorem faciunt Ariſtotelem: neq; animaduertunt eum huius exercitationis præcepta utiliſsima tradidiſſe tertia ſectione primi Priorum: quæ nõ ſolum alijs authoribus, uerũetiam ſibi profutura exiſtimauit. Poſtremò notandum eſt diligenter ante explicationem cuiuſq; libri, utram methodum ſequatur Ariſto. demonſtrandi'ne, an diffiniẽdi: quas duas tantùm agnoſcit in Poſterioribus: quæ ſi negliguntur, ſequitur magna totius ordinis perturbatio, ac libri ignoratio. Nam ſi docemur in methodo qui finis diſputationi propoſitus





ſit, cur quicq; tradatur, cur hoc ordine, non alio, certè methodo ignorata fieri non poteſt, ut Ariſtoteles intelligatur. Hinc tot tamq; uariæ ſententiæ, & explicationes interpretũ. hinc tot errores in ſingulis libris commiſsi: ut diffiniri ſynonyma ad intelligendum ea admitti debere in categorijs, cùm Ariſtoteles teſtetur apertè ſe hanc diffinitionem poſuiſſe ad demonſtrandam ſecundam proprietatem ſubſtãtię: quod methodus demonſtrandi poſtulat. ut diffiniri nomen in libro περὶ ἑρμηνείας quoniam eſt pars enunciationis, cùm Ariſtot. ſcribat ſe hoc principiũ poſuiſſe ad eam demonſtrationem conficiendam, quæ. 7. cap. legitur. Vt in Prioribus diffiniri ſyllogiſmũ perfectum & imperfectum ad cognoſcẽdam diuiſionem ſyllogiſmorũ, cùm Ariſto. ingenuè ſignificet ſe diffiniuiſſe hos ſyllogiſmos, ut demõſtraret omnes modos primæ formæ perfectos eſſe, reliquos uerò imperfectos. ò miſerum Ariſtotelem qui alijs authoribus illuſtrandis præcepta tradiderit inuentionis, ſyllogiſmorũ & methodi, ſibi nullũ reliquerit: imò ſtupidos interpretes,

Universidad de Deusto
Biblioteca



qui hæc in Ariſtotele non uiderunt: & Ari-
ſtotelem fortunatum, qui ea præcepta do-
cuit, quæ ipſe primũ ſuis exemplis ſecutus
ſit,& poſteri omnes imitati. Quamobrem
& hæc diligentia adhibenda eſt,ut Ariſto-
teles τεχνολογία inuentionis & diſpoſitio-
nis illuſtretur. Quod ſi in uitiũ aliquod in-
currit diſsimulandum nõ eſt, ne ſi animum
alicuius occupauerit, altiores agat radices,
quàm ut poſsit euelli. Sed iudicandũ eſt ac-
curatè,ut ſit'ne aliquid alienũ in argumen-
tis ſingulis: quales ſunt diffinitiones natu-
rales uocibus mathematicis expoſitæ: ut
illæ humidi & ſicci, quæ leguntur in libris
de ortu ex termini & figurarũ ratiõe, quas
accipere poſſunt. In argumentatione quæ
aliena cõmiſerit Ariſto. demõſtrant inter-
pretes Græci, cùm ueteres philoſophos à
calumnijs illius uindicant. In methodo ue
rò quàm multa aliena ut in libro περὶ ἑρμη-
νείας diſputatio de ἰσοδυναμία propoſitio-
num & ſignificatione modorum ad Gram
maticos referenda. In Prioribus ratio inue
niendi medium ad Topica, quæ inuẽtionis
ſunt. Ratio analyſεως, & bona pars libri
ſecundi



ſecũdi ad Elenchos, in quibus docetur ex-
ercitatio Dialectica: quod uel uitia eadem
explicata. 2. Priorũ & in Elenchis apertè
declarant: ut petitio principij, non penes
hoc, nõ cauſa ut cauſa,& alia multa. In To
picis explicatio trium modorũ ſyllogiſmi
hypothetici ad priora referẽda eſt. Totus
autem liber octauus ad Elenchos pertinet
cùm de exercitatione diſputet, idq; eo ar-
gumẽto confirmari poteſt, quod eadem ad
uerbum ferè diſputatio in Elenchis expli-
cetur. Diſputatio de cauſis in uniuerſum,
quæ legitur. 2. Phyſico ad Phyſicum non
pertinet, ſed ad Dialecticũ,aut Metaphy-
ſicum. De cauſis uerò rerum naturaliũ pro
pria eſt Phyſici diſputatio. Quæ leguntur
4. Phyſico de ſignificationibus iam, olim,
nunc, Grãmatica ſunt. Quintus liber Phy
ſicorum uſq; ad explicationem huius uocis
ſimul,cum tertio Phyſico cohæret, conti-
nuatuſq; eſt: quod ſatis declarat cõiunctio
δὲ, initio libri poſita, quoniam cum quarto
libro connecti nõ poteſt, reliqua uerò pars
libri cum quarto libro cohæret. Totus ue
rò quartus liber Meteororũ,ut ait Alexan
der, non

Universidad de Deusto Biblioteca



der,non eſt proprius eius loci, ſed librorū de ortu & interitu:nam non diſputat de rebus meteorologicis, ſed de actionibus primarum qualitatū, de quibus in libris de ortu & interitu diſputatum eſt. Mitto Metaphyſica,&Ethica,in quibus multa legūtur perturbata. Certè de minori Alpha Metaphyſico magna diſceptatio eſt. nam ſi in Metaphyſicis libris recenſetur cur à Gręcis non uocatur ſecundus? cur in.3.Metaphyſico nō docet Ariſto.quid natura & circa quas res uerſetur ſciētia naturalis? quod in fine ſecundi pollicetur ſe explicaturum. Si ante ſecundum Phyſicum collocari debet, ut uoluit Iacobus Sadoletus, cur non explicat in.2. Phyſico ſit'ne unius ſciētiæ, an plurium principia & cauſas contemplari? quam quæſtionē ponit in minori Metaphyſico: explicat uerò.2. Metaphyſico,ut dicendū ſit aut eo loco nō fuiſſe collocandum,aut certè tertiū Metaphyſicū mutilū ad nos perueniſſe. Primo etiā de partibus animalium præcepta methodi & ratio diuidendi aliena ſunt,&in Dialectica arte,cuius propria erant, non ſunt ab Ariſtotele

explica



explicata. De his omnibus ſeparatim iudicare nō inutile foret: uel exemplo eiuſdem Ariſtotelis, qui in Parmenide, Meliſſo & Platone plærunq; hoc uitiū notauit: quòd illi quæ propria eſſent Metaphyſicæ, aut Mathematicæ, ad Phyſicos transferrent. Iam uerò ſi qua ſit in argumento obſcuritas,notanda eſt:ut in fine Dialecticæ,ſit'ne demonſtratio finis totius artis, ut uolunt Græci interpretes, an ſolius partis analyticæ,ut Ariſtot. ſentire uidetur? In forma, ſit'ne temperatio diuerſa à forma, cùm res præditæ eadem tēperatione diuerſa edant effecta,an eadem, cùm Ariſtot. neget in rebus naturalibus principium eſſe quod moueat tantum & nō moueatur? qualis eſt forma. In efficienti,ſit'ne inſtrumentum cauſa efficiens? cùm efficiat,an non? cùm Ariſto. diffiniat cauſam efficiētem, quæ primo mouet. Et ſit'ne motus cauſa caloris, cùm aër & aqua agitata refrigerētur? & ſi ſit,ſit'ne procreans,an conſeruans & augens? ut in animalibus. In materia, ſit'ne cœlum eiuſdem materiæ,atq; elemēta? cùm effecta primarum qualitatum faciat,an diuerſæ? cùm

diuerſo

Universidad de Deusto Biblioteca



diuerſo motu torqueatur. In effectis, ſit'ne prima actio ignis & caloris calfacere, an ſeparare quæ eiuſdem generis ſunt? In rebus ſubiectis, ſit'ne ſedes ſenſuum in corde ut ait Ariſto. an in cerebro? ut uoluit Galenus. Sit'ne Galaxias in regione aëris, quia ſit ex reflexu luminis in humore, an ſit in cœlo? quia ſemper eodem modo cernitur, & eadem natura præditus. Sint'ne ſubiectæ tantùm Rhetori res quę cadunt in conſultationē, ut uoluit in Rhetoricis Ariſtot. quia in ijs ferè uerſatur, an res omnes quæ dicēdo ornari poſſunt? In adiunctis, ſit'ne prima qualitas aëris calor, quia tenuis eſt, & proximus igni, quę ſententia Ariſtotelis eſt, an frigus? ut Stoici ſentiūt, quia quò purior, eò frigidior: an incerta? quoniam omnem qualitatē loci & temporis excipit. In contrarijs, ſit'ne uni uirtuti unū uitium aduerſum? quia duæ tantùm partes unius cōtradictionis, an duo extrema uni medio? ut uolunt Plato & Ariſtot. in comparatione, ſit'ne Rhetorica ut manus dilatata? quia copioſa eſt, & Dialectica, ut manus cōpreſ-

ſa? quia anguſtius diſputat: an hæc comparatio ſit inepta? quia naturā rei non mutat: In nomine, dicatur'ne αἴθρα ἀπὸ τοῦ αἴθειν? quòd ardeat, & ſit ignea cœli uis: an ἀπὸ τοῦ ἀεὶ θεῖν? quòd ſemper agitetur, ut placuit Ariſtoteli. In diffinitione, ut finiatur'ne nomine naturæ forma? quæ cauſa eſt per ſe mouēdi, an uis diuerſa? quæ moueat & moueatur. Et in animi diffinitiōe. Finiatur'ne animus auulſus à corpore? cùm animus in uniuerſum qd ſit explicetur, an cōiunctus cū corpore? qui eſt corporis ἐντελεχεία. In diuiſione, ſint'ne decem categorię? an quatuor genera? ut uolunt Stoici, an quinque? ut Plotinus, cùm Ariſtoteles diuiſionē nō confirmarit. Sint'ne quatuor genera cauſarum? ut uolunt Peripatetici, an ſex? ut Academici, an octo? ut alij. In genere & formis magnæ latent plerunq; obſcuritates: præſertim cùm res in genere tantùm dicitur, neq; partes ſingulæ explicantur. ut, cùm dicunt Peripatetici officium Dialectici eſſe ea omnia præſtare, quæ ualent ad diſſerendum de re quauis propoſita, non explicant tamen

Universidad de Deusto Biblioteca



tamen quæ ſint præſtanda, quæ poſſent ex Topicis Ariſtotelis explicare: quo loco inſtruit Dialecticum ad diſputandum: aut ſi prolixa uidẽtur, quæ ab Ariſtotele traduntur, poſſent ſic paucis cõprehendere. Quoniam omne officium poſitum eſt in exercitatione, quot ſunt exercitationes, tot ſunt præſtanda à Dialectico. Exercitationes autem Dialecticæ duæ ſunt, quemadmodum docet Ariſtoteles de ſyllogiſmis diſputãs: una geneſis, qua cõficimus nouos ſyllogiſmos: altera analyſis, qua de confectis iudicamus. Duo igitur iudicio Ariſtotelis ſunt præſtãda Dialectico: primum, ut conficiat opus nouum, ut locum cõmunem: ſecundum, ut de confecto opere iudicet, quemadmodum facit Ariſto. 1. Phyſico, Metaphyſico, & de Animo, ac in omnibus ferè ſuis libris: qui ita iudicat, ut aut aliena ſeparet à proprijs, ut cùm dicit diſputationem Parmenidis, & Meliſsi, item Platonis nõ eſſe propriam Philoſophiæ naturalis, ſed Metaphyſicæ: & cum ijs nõ eſſe diſputandum Phyſico, quia negant principia Phyſiologiæ: ſed aut Dialectico, aut Metaphyſico.

Aut ex



aut explicet obſcura: ut ſententias Heracliti. aut ambigua diſtinguat: ut in diſputatione contra Parmenidem, id quod eſt, & unum: quæ uoces ſunt ancipitis ſignificationis. aut falſa reprehẽdat: ut cùm ſcribit ratiocinationes Philoſophorũ peccare in materia. aut inconſequentia tollat: ut cùm docet in forma argumẽtandi philoſophos peccaſſe. Et hac explicatione partiũ quod obſcurum erat in genere, perſpicuum efficitur. Nec minor eſt obſcuritas in ſyllogiſmis cùm deeſt aliquid, aut ſupereſt. Deeſſe non dubitãt, qui norũt Ariſtotelis breuitatem. Supereſſe unico tantum illuſtri exemplo demonſtrabo. Capite de futuris cõtingẽtibus quæſtio ponitur obſcuriſsima: quę fit multò obſcurior propter proſyllogiſmos & prolepſeis, quæ ad ſumptiones confirmandas acceſſerũt. Si quis tamen diſtinxerit caput, ut explicet duos ſyllogiſmos per ſe, qui totam diſputationẽ cõtinent, facillimum efficietur. Nam primus ſyllogiſmus eſt: ſi certa eſſet ueritas futuri contingentis, res omnes ex neceſsitate euenirẽt: hoc autem perabſurdum eſt: quare non eſt

D certa

certa ueritas futuri contingentis. Propoſitionem huius ſyllogiſmi explicat primum Ariſtot. exemplo, deinde duobus argumẽtis cõfirmat, poſtremò triplici prolepſi illuſtrat: Aſſumptionem probat tribus argumentis. Secundus ſyllogiſmus eſt: quæ natura rerum eſt, eadem enunciationũ: res autem pleræq; ſunt ancipitis euentus: quare & enunciationes. Propoſitionem confirmat ſimilitudine rerum. Hoc lumine adhibito quid apertius capite de futuris contingentibus? quod tamen uulgò obſcuriſsimũ iudicatur. In methodo uerò quanta eſt obſcuritas, ſi aliquid deſit, ſi ſuperſit, ſi nõ ſit diſtinctum, ſi non ordine collocatum, ſi uarium, ſi ſparſum. Quàm multa deeſſe Ariſtoteli obſeruarunt ſectatores illius ſtudioſiſsimi! ut Porphyrius libro categoriarũ explicationem quinq; uocum: ut Gilbertus Porrectanus diſputationem copioſiorem ſex categoriarũ: Stoici libro περὶ ἑρμηνείας artem enunciationum hypotheticarum: ut Theophraſtus modis ſyllogiſmorũ quinque modos per conuerſionem: quanquam hi leguntur ſparſi in Ariſtotele, & modum proban



probandi conuerſionẽ negationis uniuerſæ: ut Stoici ſyllogiſmos hypotheticos apprimè neceſſarios: ut Hermogenes plures modos Enthymematũ: Poſterioribus uerò Analyticis quam magnam acceſsionem fecerit Galenus quindecim libris de eodẽ argumento editis quis dubitat? Græci tamen interpretes pauca quædam addiderũt de methodis diuidendi, cõponendi, & reſoluendi: Topicis præpoſuit Theophraſtus antetopica: Elenchis addidit Galenus demonſtrationem fallaciarũ quæ fiunt in uerbis: quæ ab Ariſtotele prætermiſſa fuerat: in Phyſicis diſputationi de motu addidit Proclus libellum elegantiſsimũ de motu: in quo multa theoremata diligẽtiſſimè perſequitur. Libris de cœlo uidentur multi ſuam ſphæram adiunxiſſe. Libris de ortu & interitu acceſsit elegãtiſsimus liber Alexandri de mixtione: quod exiſtimaret Alexander, ut credo, hanc tractationem in Ariſtotele imperfectam eſſe: Meteorologicis multa addidit Theophraſtus, quę non tam expreſſa ab Ariſtotele, quàm indicata ſolũ uidebãtur, ut libros de aquis, de lapidibus,

 de me

Universidad de Deusto Biblioteca



de metallis, & alijs etiam quæ ex terra fodiuntur. Multa etiam poſt Theophraſtum Seneca appoſuit: Stoici adiunxerunt libris de animo partem magnopere neceſſariam de animi perturbationibus. Libris de ſenſu addidit Theophraſtus unũ libellum de ſenſu, & alterum de coloribus. Horum exemplo quàm multa addi poſſent Ariſtoteli, quæ nunc demum deeſſe à multis obſeruantur non ſine magna utilitate. Vt diſputationi de nutritione, & accretione, & quarto Meteororum multa ex Galeno in uarijs locis. Et in Logica ratio diffiniendi & diuidendi accuratior: & in Topicis exẽplo Ciceronis methodus inuentionis diligentior. Quod Louanienſes in ſuis commentarijs in Logicam Ariſtotelis feciſſe uidentur. Sed quis iſta addet, niſi multum authoritate ualeat? Addet, addet, qui non hominum, ſed rationem ueritatis habebit. Verùm multa ſuperſunt: ut bona pars Priorũ, quam oſtentationis cauſa ſcriptam eſſe omnes confitentur: ſed, ut ego ſentio, utilitatis cauſa. Multa ſunt quæ repetit inutiliter Ariſtoteles: ut diſputationem de uitijs



tijs Dialecticis in Prioribus, Topicis, & Elenchis. ut rationem diffiniendi in Poſterioribus, Topicis, & Metaphyſicis. ut explicationem cauſarũ ſecundo Phyſico, & quinto Metaphyſico iiſdem uerbis expreſſam. ut diſputationem de motu & infinito. 3. Phyſico. 5. 6. & 1. de cœlo, & 11. Metaphyſico. ut de principijs rerum naturalium. 1. Phyſico, & Metaphyſico. ut de continuo in categorijs. 3. Phyſico. 6. Phyſico. 1. de cœlo, & in Metaphyſicis. ſed iſta defenduntur ſuis diſtinctionibus. Multa non ſunt diſtincta: ut liber περὶ ἑρμηνείας, qui à Latinis temerè in duos libros à Græcis uerò in quinq; ſectiones ſine ratione diuiditur. Qui apertius poſſet diuidi in tres ſectiones: Primam de elementis enunciationum uſq; ad caput quintũ: ſecundam de duabus affectionibus enunciationũ, nempe repugnantia, & conſecutione uſq; ad ultimũ caput: tertiam ultimo capite de quæſtione quadam repugnantiũ inter ſe enunciationum. Ac prima pars diuiditur in præfationem, & elementa: quæ ſunt ſeptem: nomen, uerbum, oratio, enunciatio, affirmatio, ne

Universidad de Deusto Biblioteca



tio,negatio,& contradictio. Secunda pars denuò ſecatur in affectionem enunciationũ abſolutarũ,& earum quę modificatę ſunt. Repugnantia abſolutarum tribus theorematis explicatur. Primo generibus repugnantiarum: ſecundo proprietatibus,& regulis earundem:tertio numero repugnantiarum. Conſecutio duobus theorematis continetur ἰσοδυναμία,& regulis conſequētiarum. Deinde modificatæ enunciationes in repugnantiam,& conſecutionē diuiduntur:quę ſingula licet denuò partiri dum ad indiuidua ueniatur. Sic etiã totus liber Topicorum,quem nec Græci,neq; Latini appoſitè diſtinguũt, diuiditur in tres partes: Primam de quæſtione uſq; ad caput decimum primi libri: ſecundam de inuentione à capite decimo uſque ad octauum librum: tertiã de diſpoſitione, & exercitatione toto libro octauo. Tum ſingulæ hæ partes habent alias diuiſiones: ut totus Ariſtoteles memoriæ confirmandæ cauſa in tabulas conferri poſsit. Sed quid de ordine librorum dicam? de qua re ſolus Adraſtus Aphrodyſſeus unum librũ ſcripſit. in quo





pręter alia multa docet poſt categorias ſequi debere libros Topicorum & Elenchorum: neque mirum. nam uidetur Ariſto.7. cap.1.Topici categorias ad inuentionem retuliſſe. Vnde antetopica à multis Gręcis nominãtur. Elenchos uerò cõiunctos eſſe cum Topicis epilogus Elenchorum declarat:in quo tantum repetuntur, quæ in Topicis,& Elenchis expoſita fuerant. Atq; hi ſunt libri inuentionis Dialecticæ. reliqui tres περὶ ἑρμηνείας, Priorum,& Poſteriorũ ſunt Analyſεως,aut diſpoſitionis, ut Rhetores loquuntur. Hoc modo demonſtratio uerè finis eſt, & extremũ Dialecticæ: hoc modo inuentio uerè prior eſt & ordine naturæ,& doctrinę diſpoſitione. Alij categorias à Logica ſeparant, & à libro περὶ ἑρμηνείας Logicam ordiuntur: neque id ſine ratione. Nam cùm categoriæ materiã ſuppeditent: Logica autem omni careat materia, uidentur ſub Logica non poſſe cõprehendi: cumq; liber περὶ ἑρμηνείας de ijs diſputet,quæ ſunt cum Grammaticis cõmunia,meritò reliquis libris anteponitur. Alij reijciunt illi quidem categorias à Logica,

Universidad de Deusto Biblioteca



ſed à Topicis & Elenchis initium ſumunt: & de cætero ordinem Adraſti ſequuntur. At Perionius poſt librũ περὶ ἑρμηνείας Topica & Elenchos collocat, poſtremò Priora & Poſteriora: quia in categorijs, & libro de enunciatione elementa artis: in Topicis & Elenchis, inuentio, quæ prior eſt in Analyticis, iudicium explicatur. Reliqui ordinem ferè uulgarem librorũ ſequuntur. De hac ordinis uarietate iudicare nõ eſt huius temporis, neque loci, ſed cõmentariorum quos in uniuerſam Logicã paramus. Item uarietas magnam affert Ariſtoteli perturbationem. Nam cùm uerum plus uno eſſe nõ poſsit, neceſſe eſt aut nullam, aut unam tantum ueram eſſe ſentẽtiam. In qua re iudicanda acerrimo opus eſt iudicio, & magna Dialecticæ artis cognitione. ut cùm multa argumenta afferuntur ab Ariſtotele ad eandem rem confirmãdam, aut refutandam, uidere quæ neceſſaria, aut Analytica, ut Ariſto. uocat, & quæ logica, aut probabilia, & quę captioſa. Quod Ariſto. facit. 1. Poſteriorũ, diſputans nõ eſſe progreſſum in infinitum in demonſtrando. Tum uide-





re qui gradus ſint in argumẽtis neceſſarijs & probabilibus, quod magis neceſſarium, quod probabilius. Cumq; uariæ ſint eiuſdem rei diffinitiones, & diuiſiones, uidendum quæ ſola perfecta ſit, reliquæ ſuis uitijs ſunt notandæ. ut cùm ſex definitiones Philoſophiæ afferantur ab Ammonio, ſolæ duæ conſtant genere, quæ à re ſubiecta ducuntur. reliquæ genere carent, nec quid res ſit explicant. Nam duæ quæ ducuntur à fine non docent quid Philoſophia ſit, ſed quales debeant eſſe mores Philoſophorũ: ut ſemper commententur mortem, & ut diuina, non humana ſequantur. Tertia, quæ affertur à Pythagora eſt explicatio nominis, & docet tantùm quarũ rerum cupidus ſit Philoſophus. Quarta explicat ſolum Philoſophiam præſtabiliorem eſſe omnibus artibus. At illa diffinitio Philoſophia eſt cognitio rerum humanarũ atq; diuinarum: non tradit quid ſit, ſed ex quot partibus conſtet. Quare de ſex diffinitionibus hæc erit ſola propria, cognitio rerum, quia res ſunt. Quæ diffinitio hac methodo eſt inueſtiganda; quæ tamẽ in omnibus inter-

Universidad de Deusto
Biblioteca



pretibus deſideratur. Omnia quę inſunt in
animo, qualis eſt Philoſophia, aut ſunt par
tes animi, aut ſymmetria partiũ, aut actio-
nes. Philoſophia non eſt pars animi: aliô-
qui oẽs naſceremur Philoſophi: non ſym-
metria: nam ſi ſecundum naturam, eſſet uir
tus, ſi præter naturam, uitiũ: Philoſophia
autem neutrũ eſt, ſed ἀδιάφορος. actio igi-
tur. Porrò actiones aut ſunt ſingularũ par
tium animi, aut ſymmetriæ. Philoſophia
non eſt ſymmetriæ actio, ut ſupra demon-
ſtratũ eſt: ergo unius partis. non appeten-
tis: nam poſita eſſet in uolũtate, & oẽs con-
tinuò eſſemus Philoſophi: quare eſt actio
partis cognoſcentis, quę uno nomine cog-
nitio uocatur. Quamobrem inuentum eſt
propriũ genus. nunc differẽtiam à re ſubie
cta quæramus. cognitio aut rerum, aut uer
borum. non uerborum. igitur rerum. rerũ,
non ſingularũ, quæ infinitæ ſunt. ergo uni
uerſarum. Quare hæc erit propria diffini-
tio philoſophiæ, cognitio rerum, quia res
ſunt, id eſt, rerum uniuerſarum. Mitto ua-
rias ſententias, expoſitiones, methodos,
quas cùm per tempus explicare non liceat,
in alium



in alium locum reſeruabo. Prætereo quæ
ſparſa legũtur in Ariſtotele, quæ utile eſſet
uno loco colligi. Porrò his omnibus ob-
ſcuritatibus magnum afferrẽt adiumentũ,
qui adderent, quæ deeſſent, detraherẽt, quę
redundarent (quod audio feciſſe noſtrũ ci-
uem Gilidam doctiſsimum philoſophum,
& in Ariſtotele multũ exercitatum) ex ua-
rijs methodis, expoſitionibus, & ſententijs
meliores retinerent: quod facere Louaniẽ-
ſes in ſuis commentarijs melius uoluerũt,
quàm potuerunt. Porrò autẽ in Ariſtotele
omnes aſſerunt magna contentione uocis
nihil eſſe falſum, nihil repugnans, nihil in-
conſequẽs. Mallem dicerent pauca eſſe fal
ſa, pauca repugnantia, pauca inconſequen-
tia, & Ariſtotelem hominem eſſe agnoſce-
rent, qui errare ſciret, & poſſet. Sed audiãt,
quæſo, primum Alexandrum Aphrodyſ-
ſeum aliter de Ariſtotele iudicaſſe; qui ta-
men primus illum ſexcentos annos iacen-
tem in ſitu & puluere excitauit. Nam cùm
rogaretur quæ ſentẽtia Ariſtotelis illi ma-
gis placeret, reſpõdit ſe ſolam ſententiam
de mundi æternitate arripuiſſe, quòd in ea
ſola

Universidad de Deusto Biblioteca



ſola uideretur Ariſtotelis ſibi cõſtare : tam
inconſtantem Ariſtotelem fuiſſe Alexan-
der iudicauit. Sed quid Alexandrum com-
memoro? Non'ne nouimus categorias Ari
ſtotelis à Plotino reprehendi? quem diuus
Auguſtinus & Macrobius nõ uerentur cũ
Platone comparare: & eaſdem à diuo Gre
gorio Nazianzeno irrideri? librum ſecun-
dum περὶ ἑρμηνείας, ut Latini diuidunt, uel
ab illius interpretibus ſtudioſiſsimis præ-
ſertim extremum caput improbari? Mix-
tiones neceſſarij & abſoluti, item contin-
gentis & abſoluti, à Theophraſto & Eude
mo ſuis familiaribus refutari? à Chryſip-
po, quia negauit ex falſo quod fieri poteſt
ſequi quod non poſsit fieri, accuſari? in po-
ſterioribus illius inconſtantiam de medio
demonſtrationis, ſit'ne definitio ſubiecti,
an attributi ab interpretibus animaduerti?
in Topicis à Cicerone & Rodolpho incer
tam methodum notari? à Galeno in uerbo
rũ fallaciis uexari? ĩ Phyſicis à Theophra
ſto, & Eudemo multa redargui? in iiſdem
à diuo Iuſtino duobus libris de ea re editis
uehementer exagitari? Secundo Phyſico
quod



quod naturam fecerit principium mouẽdi
& in octauo negarit principium eſſe mouẽ
di in rebus naturalibus, niſi ſint animatæ,
ab interpretibus damnari? quarto Phyſico
à Philopono de loco, & inani nõ probari?
De tẽpore uerò à Damaſcio, Stratone, Plo
tino, Iamblico, & Proclo confutari? Septĩ
mo Phyſico de cognitione animi antequã
corpus ingrediatur errorem eius ab inter-
pretibus oſtendi? Octauum Phyſicum, &
primum de cœlo à Philopono & cunctis
Chriſtianis argui? libros de cœlo à Xenar-
cho Philoſopho peritiſſimo labefactari? in
libris de ortu, in diſputatione de mixtione,
ſit'ne per ſubſtantias, an per qualitates &
de materia prima ſit'ne expers quantitatis,
an particeps inconſtantiam à multis iudica
ri? In Meteorologicis multa à Seneca con
demnari? Libros de animo à diuo Grego-
rio Nazianzeno contumelioſe tractari? &
à multis ſectatoribus illius ſtudioſiſsimis
contemni? Metaphyſica, in quibus firmiſ-
ſimum præſidium Ariſtoteleorũ eſt, à Plu-
tarcho nihil utilitatis continere neq; ad do
cendum, neq; ad dicẽdum iudicari? Ethica
à diuo

Universidad de Deusto Biblioteca



à diuo Baſilio propter corruptam opinionem de fœlicitate uehementiſsimè exprobari? à Galeno refelli in origine neruorũ, in ſomni ratione, in ſemine mulieris, in ratione uidendi, in neceſsitate cerebri, in ſede primi ſenſus, in numero uentriculorum, in ſectione cordis, in operibus ſeminis, in ortu partium ex ſemine, in naturæ operibus, quæ diuerſo modo in animalibus & plantis expoſuit, in actionibus organorũ prætermiſsis, in comparatione maris & fœminæ, quòd fœmina ſit imperfectior, in utilitate unguium, in tribus facultatibus unius naturæ, in neruorũ explicatione, in qualitatibus primis ſint'ne quatuor agẽtes, an duę tantùm? ac in alijs pleriſq; adeò damnari, ut aliquando ſe Dialecticam & artem demonſtrandi in eo deſideraſſe pronũciarit? Prætereo de induſtria multa quæ ab alijs reprehenſa ſunt, ut ab Academicis, Stoicis & Philoſophis recentioribus, ne ſingula perſequi, & Philoſophorum principem in iudicium uelle uocare uidear: cui omniũ artium inuentionẽ deberi confiteor, ac pręſertim Dialecticæ, ut publicè epiſtola quadam





dam teſtatus ſum. Sed hęc à me eo conſilio dicuntur, ut excitentur omnes ſtudioſi Ariſtotelis ad illum defendẽdum ab iniurijs aduerſariorũ: quod fecit Beſſarion in Platone, & horum exemplo Ariſtotelem cum ratione reprehendi patiantur. Quare hæc diligentia adhiberi debet, ut omnes calumniatores Ariſtotelis in unum librum conferantur: in quo de illorum ſententijs incorruptè & liberè, ſine diſtinctionibus & perturbatione animi iudicetur. Sunt tandem apud Ariſtotelem aliqua argumẽta inconſequentia: ut extremo capite de enunciatione quintum argumẽtum. Nam quî quæſo ualet argumentum, ſi in enunciationibus, quarum attributo nihil eſt aduerſum, negatio aduerſa eſt affirmationi, idem futurum in ijs, quæ habent aduerſum? cùm quæſtio non ſit poſita niſi de ijs tantùm, quarũ attributo aliquid aduerſatur. Sed infinitum eſſet omnia uelle perſequi. De hoc igitur uitio iudicandum quoque eſt. Hactenus de tractatione rerum diſſerui: nunc de rebus ipſis, & de præceptionum uſu, quàm breuiſsimè fieri poterit, diſputabo. In quibus quan

Universidad de Deusto
Biblioteca



bus quanquam magnæ ſunt obſcuritates, maxima tamen omnium eſt, ignorare eos authores, ex quibus mutuatus eſt ſua Ariſtoteles : ut categorias ex Archita Tarentino: rationẽ inueniendi medium, & diffiniendi ex Philebo & Phædro Platonis: ut totũ librum Elenchorum ad uerbũ ferè ex Euthydemo Platonis, & ex reliquis dialogis, qui ſcribuntur contra ſophiſtas: ut methodum progrediendi à generalioribus ad ſpecialiora ex Philebo : ut mutationes fieri ex contrarijs ex Phædone: ut omnẽ ferè Phyſiologiam ex Timæo exceptis libris de animalibus : Politica ex dialogis de rep. & de legibus: Ethica ex reliquis dialogis moralibus. Nam quod vulgò dicitur facilius conciliari ignem poſſe aquæ, quàm Ariſtotelẽ Platoni falſum eſt, cùm verbis ſolum inter ſe, non ſententia diſcrepent : de quo argumento ſcripſerat Porphyrius libros ſeptẽ, qui perierũt : ſed poſſumus ad eam rem uti opera Procli, & Græcorum interpretum, & Beſſarionis, qui magnum huic rei adiumentum attulerunt. Sed multò maior cauſa eſt obſcuritatis, quod multa uulgò rece-





pta ſunt pro decretis Ariſtoteleis, aut ex alijs ſectis philoſophorum, aut ex opinione uulgi ſine autoritate : qualia ſunt hæc omnia Stoica. diffinitio artis, coaceruatio ex multis perceptionibus ad aliquẽ finem utilem uitę ſpectantibus, cùm Peripatetici labefactent perceptiones Stoicas : tres partes Philoſophiæ theorica, practica, & logica: cùm Ariſtot. duas tantùm faciat, cumq́; Stoici ſub theorica ſolam philoſophiã naturalem complectantur, Ariſtoteles uerò etiam Mathematicas, & Metaphyſicam: Dialectica diffinita à Diogene Stoico ars diſcernendi uerum à falſo: cùm multa prę-ſtentur à Dialectico quę hac diffinitione nõ continentur: diſsimilitudo Zenonis, quòd Rhetorica copioſior ſit, Dialectica anguſtior falsò tributa Ariſtoteli à Cicerone: cùm in Ariſtotelis Rhetoricis nõ legatur, cumq́; Ariſtoteles demonſtret maiora, minora, plura, pauciora non mutare rerũ ſpecies: inuentio neglecta, & ad Rhetoras tanquam in exilium relegata. Mitto Platonica quæ pro Ariſtoteleis irrepſerũt. duo dicam admirabilia. Sic uulgò omnes pręcipi-

Universidad de Deusto
Biblioteca



mus. Omnis diuiſio, ſi fieri poteſt, debet reuocari ad bimembrem: præceptum tamen eſt Platonis, ab Ariſtotele multis argumētis refutatum primo de partibus animaliū: quod pro Ariſtoteleo uenditamus. Illud etiā uulgò perſuaſum eſt ab Ariſtotele collocari ideas in Deo optimo maximo: quæ, ſententia Platonis eſt, & æternitati mundi quam ſequitur Ariſtoteles, è diametro repugnans. Eodem pacto Ariſtoteles refutauit primo Meteorologico ignem eſſe proximum globo lunæ: at nos dogma Ariſtoteleum eſſe arbitramur. Sic tria facimus genera bonorum animi, corporis, & fortunę: cùm in nullo autore hæc diuiſio legatur: quia bona fortunę ſunt cōmunia bonis corporis, & externis, ut demonſtrari poteſt ex diffinitione, quæ affertur ab Ariſtotele primo Rhetorico. Neq; ſolum ſententiæ pro Ariſtoteleis falsò receptæ ſunt, ſed etiam integra aliquando diſputatio: ut. 7. Phyſico quatuor paginæ paraphraſeωs Themiſtij: quæ, quod nefas eſt dictu, pro uerò Ariſtotelis textu ad hodiernū uſq; diem leguntur; atq; etiam integri libri: ut Rhetorica

ad



ad Alexandrum: quam Anaximenis Lampſaceni eſſe conſtat, cùm Quintilianus lib. 3. eandem diuiſionem Rhetoricæ Anaximeni tribuat, quæ legitur in Rhetoricis ad Alexandrum: cumq; eam ſentētiam autor illius libelli ſequatur de ſignis ſcientiam efficientibus, quam Ariſto. diſputans de enthymemate ad alios refert autores: ut libri falſo aſcripti Ariſtoteli de ut cauſa, qui liber eſt Procli: ut de intelligētia, de proprietatibus elementorum, qui libri non retinēt phraſim Ariſtoteleam: de pomo, qui liber apertè alicuius Chriſtiani eſt. De proprietatibus uegetabiliū liber eſt ab aliquo Arabe compoſitus: cum citet Arabicos ſcriptores. Libri duo de plantis aliquas uoces habēt Arabicas: ut benteli, ne nuphar quæ uoces apertè declarant librum ab aliquo Arabe ſcriptum fuiſſe. De libello de mūdo adhuc ſub iudice lis eſt ſit'ne Ariſtotelis. Nam cum eleganti præfatione utatur, & Platonem generoſum uocet, & mundum creatum eſſe aſſerat, fit ut Ariſtotelis non uideatur eſſe. At diuus Iuſtinus martyr & magni nominis Philoſophus Platonicus,

 illum

Universidad de Deusto
Biblioteca



illum Ariſtoteli tribuit: quem Ioannes Picus, & Eugubinus ſequuntur. De libro etiã de coloribus magna diſceptatio eſt ſit'ne Ariſtotelis, an Theophraſti? Quàm vtile ergo eſſet hęc omnia per ſe obſeruari! Nec minor ſedulitas neceſſaria eſt in ſententijs Philoſophorum examinandis uere'ne, an falſo ab Ariſtotele refutẽtur, ex uarijs fragmentis Philoſophorum, quæ in uarijs ſcriptoribus leguntur. Quam partem Græci interpretes multum ſua induſtria iuuerũt. Quin & illud admirabile eſt quod Ariſtoteles multis in locis quæſtionem ponit, cuius contrariam ſententiam ſequi oportet: ut capite de relatis, dum diſputat de ſenſu & re quæ cadit ſub ſenſum ſint'ne ſimul natura, & de ſcientia & re quæ cadit ſub ſcientiam, ac demonſtrat non eſſe ſimul natura, cum. 2. Phyſico contrariã ſententiam confirmet. Item extremo capite de enunciatione probat negationẽ magis eſſe aduerſam affirmationi, quàm affirmationem aduerſi attributi: cum decimo Metaphyſico cõtrariam ſentẽtiam ſequatur. Id autem Ariſtotelem feciſſe ſcribunt interpretes, ut crucẽ figeret



figeret poſteris. Sed hac moleſtia liberauit nos Ammonius. Magnæ obſcuritati reſiſterent, qui præcepta poſteriorum, & Elenchorum Ariſtotelis ſic cum illius operibus compararent, ut ille cum Philoſophis comparat: qua ex re, uix dicẽdo exprimi poteſt, quàm magni fructus caperentur. Exempla Ariſtotelis magnum faceſſunt negotiũ uiris doctiſsimis: ut cogantur aliquãdo pronunciare uetus illud elogium, Exemplorũ non requiritur ueritas, aut ſententias ineptiſsimas afferre, qualis eſt illa Simplicij capite de contrarijs, Socratem poſitum eſſe ab Ariſtotele pro catulo, cum ſcribit de Socrate nondum uidente, ſed nato ad uidendum, utrunq; eſſe falſum & uidere, & cæcũ eſſe. Et illa Philoponi explicatio de orichalco in poſterioribus, genus eſt materiæ nondum inuentum, cũ ſit æs mixtum cum cadmia foſsili. Quàm multa Arithmetica ignorata! ut quadratum, & altera parte longius quod Ariſto. 4. capite. 1. Poſteriorum numeris tribuit, ad figuras Geometricas tranſlata: cùm ſint numeri figurati. Quàm multa Geometrica negligenter explicata!

Universidad de Deusto Biblioteca



ut quadratura circuli in categorijs & Phy-
ſicis: ut diametrum nō poſſe componi cum
coſta in prioribus ut duplatio cubi in poſte
rioribus. Quàm multa Muſica! ut dieſis
in poſterioribus pro hemitonio minimo:
χρῶμα, id eſt, color primo Topico pro eo
genere Muſicæ, quod menſuram breuem
nominamus. Quàm multa Aſtrologica!
ut ſol ſecundo cœlo ab Ariſtotele poſitus.
Quàm multa Coſmographica corrupta!
ut Parnaſſus mons primo Meteorologico
ab Ariſtotele in Aſia collocatus, et alia mul
ta quæ in Meteorologicis leguntur. Quàm
multa, quæ ad Architecturam pertinent,
deprauata: ut τρίγλυφοι decimo Ethico,
quos uetus interpres triſcultos uertit, alij
elegātius laquearia, ſed utriq; ignorata no-
minis uera ſententia: Euſtratius autem ſcri
bit ab alijs uocari μύτλα, quaſi dicat, ut cre
do, mutulos, ſed falſo, cū mutuli ſint in co-
ronis, τρίγλυφοι in Zophoris: & eodem li-
bro ῥαβδώσιν uocat Ariſtoteles columna-
rum ſtriaturam, quaſi uirgationem. quem
locum Euſthratius non intelligens expli-
cat de colūnis, quæ ad rectos angulos col-

locantur.



locantur. Potuit tamē ab Ariſtotele admo
neri: qui in libris de animalibus oſtrea ap-
pellat ῥαβδωτὰ quaſi dicat, ſtriata, pectinata
aut uirgata. Quàm multa exempla Phyſi-
ca ignorata! ut in Logicis de uentriculis
boum. Quàm multa medica! ut in catego-
rijs diſputatio obſcuriſsima ſint'ne ualetu
do & morbus aduerſa, quæ carent medio,
an quæ habeant mediū? Quàm multa Phi-
lologica! ut μνᾶ poſita ab Ariſtotele in po-
ſterioribus pro grano, cuius loco poſita eſt
à Latinis uncia: quæ diſtat à grano quin-
gentis ſeptuaginta quinq; granis, ut incre-
dibile ſit mendacij interuallum. ut ſimilitu
do ſpongiæ qua utitur Ariſtot. in Meteo-
rologicis, cum inquit montes tanquam ſpō
giam eſſe; nec tamen explicat cauſam ſimi-
litudinis: quæ in hoc poſita eſt, quòd in mō
tibus ſunt uenæ, fibræ, commiſſuræ, ac ple-
rūq; cauernę, in quibus recipiūtur aquę plu
uiæ. Quàm multa poëtica & Hiſtorica! ut
2. Ethico Circe pro Calypſo poſita: in po
ſterioribus Alcides pro Alcibiade quæ o-
mnia utinam uiri docti ad Ariſtotelem in-
telligendum obſeruarent, quemadmodum

 Theon

Universidad de Deusto
Biblioteca



Theon Mathematica ſeparatim ſcripſit ad Platonem intelligẽdum. Extrema difficultatis cauſa ſupereſt explicãda. Hęc eſt quod aut uſus uerus præceptorũ ignoretur, aut cognitus non exerceatur. Quod quanquã à me in tota Philoſophia explicari poſſet, tamen in dialectica tantum breuiter explicabo. Nam quid, quæſo, utilius, quàm exercere auditores in diffiniendo, diuidendo, & demonſtrando, dum audiunt uoces Porphyrianas? & in inquirẽdis generibus, formis, differentijs, proprietatibus, & accidentibus cuiusq; rei? & in iudicando ſint'ne uera genera ab alijs inuẽta, uerę ſpecies, ueræ differentiæ, uera propria, & uera accidentia per diffinitiones & proprietates quinq; uocum? & in duabus uocibus propoſitis uidere, quomodo una ad alteram affecta ſit? Quid fructuoſius, quàm in categorijs exerceri in rebus diſtinguẽdis? & uidere quæq; res cuius generis ſit? quod ad diffiniendum plurimum ualet. ut facit Ariſtot. diſputans de diffinitione animi. et iudicare uere'ne, an falsò ab alijs res ſub quaq; categoria collocentur? Quid magis frugiferum, quàm





cùm duo ſint iudicia, unum ſingularũ propoſitionum, alterum totius ſyllogiſmi, noſſe ex libro περὶ ἑρμηνείας, ex repugnantia & conſequutione, quæ propoſitiones ueræ, & quæ falſæ ſint? & in iudicandis alienis ſententijs eadem methodo uti? Quid ſalutarius, quàm prima ſectione priorũ exerceri in iudicãdis ſyllogiſmis ex forma triũ figurarum, & ex materia? quod utiliſsimũ eſt, & à multis neglectum, in mixtionibus tamen diligenter explicatum. Quæ res maiori uſui eſt, quàm quæ docetur ab Ariſtotele ſecũda ſectione priorum, & in Topicis? inſtructum eſſe copia argumentorum ad quamuis rem confirmandam, aut refutandam & uidere quæ argumẽta quibus quæſtionibus magis conueniant? Quæ res maiorem habet utilitatem, quàm ex tertia ſectione &. 2. Priorum, & Elenchis, exerceri in explicando artificio omnium ſcriptorum? & in iudicandis eorum uitijs? in ijs præſertim locis, in quibus Ariſtot. aliorum decreta refutauit. Quid magis cõducit, quã poſteriora Analytica? in quibus docemur quæ ſit uera demonſtratio, quarum rerum

ſit,ex quibus principijs conſtet,qui ſint gra dus demonſtrationum, quæ ſit ſcientia altera certior, quæ demõſtrationes communes multarum artium,quæ propriȩ,quæ alienȩ quæ ratio ſit diffiniendi,ex quibus partibus conſtet,per quæ fiat, ac tandem quæ ſit methodus,qua oẽs artes & inueniri, & doceri poſsint. Quibus rebus quid utilius excogitari poteſt ad artes omnes comprehendendas & tractãdas? Quamobrẽ, magiſtri literatiſsimi, qd aliud iam reſtat,quã ut pro noſtris diſcipulis, pro Academia Valentina, fidem ueſtram, & diligentiam obteſter, & obſecrem. Diſcipuli omnes non ſua culpa ſed noſtra,à ſtudijs Ariſtotelis deterrentur difficultate Ariſtotelea fracti, & debilitati à Logicæ & Philoſophiæ amore abducuntur. Itaq;,magiſtri peritiſsimi,ut amore Ariſtotelis incendãtur,ut Dialecticæ & Philoſophiæ ſtudijs excitentur, ingenuam & generoſam ſtudioſæ iuuentutis indolẽ,difficultate Ariſtotelis afflictam,excitate,liberalium ſcientiarum aditum patefacite,neq; ſolum auditores ſupplices, ſed multò magis Academiam mœrentem, & utraq; manu



nu auxilium ueſtrum poſtulantem,reſpicite. Quæ,ſi muſis ſuis comitata, uoce uteretur,non'ne ſic uos,uel pro ſuis ſummis meritis moneret, uel pro autoritate quaſi matris in liberos hortaretur,uel pro magnitudine periculi oraret. Filij miſerabilem parentem diligentia ueſtra ſubleuate: meum Ariſtotelem Grȩci interpretes doctis & ſapientibus commentarijs illuſtrarunt,commentarios Græcos mihi reſtituite. Philoſophiam Ariſtotelis mei patroni à uiris utriuſq; linguæ peritiſsimis doceri uoluerunt,eam cognitionem linguarum mihi reſtituite. Ex coniuncto Dialecticæ & Philoſophiæ ſtudio magna mihi ex propriis,perſpicuis,certis,ueris,& conſentaneis præceptionibus bona attulerunt,ea mihi bona reſtituite. Doctores uarijs ſcientijs præſtantes,Mathematicis, Philologia, & multum in exercitatione ſpectatos inſtituerunt, eos mihi Doctores reſtituite. Malos doctores exterminate: qui, non comparatis inter ſe uarijs exemplaribus, Philoſophiã perturbant.qui ingenia bona,polyonymis nõ expoſitis,cõfundũt:q ambiguitate uocũ perſpicuam

Universidad de Deusto Biblioteca

ſpicuam oratione obſcurant: qui,ignorata proprietate ſermonis Græci, Ariſtotelem non intelligunt:qui uoces,quibus alij Philoſophi utuntur,ignorant: qui neglecta uarietate uerſionum, auditores perdunt: qui uocibus barbaris interpretum,quæ Latinè reſpondeant,neſciunt: qui locis mutilis & deprauatis Ariſtotelem contaminant: qui uocabulis artium & dictionibus Barbaris miſeros auditores repellunt:qui ignoratione Grammaticæ,quid deſit,quid'ue ſuperſit,& quæ ſint hyperbata, non uident: qui quibus argumentis,qua forma ſyllogiſmorum,qua methodo utatur Ariſtoteles,non explicant: qui aliena argumēta,alienos ſyllogiſmos, alienā methodū in propria loca nō trāsferūt: qui obſcura argumēta,obſcuros ſyllogiſmos,obſcuram methodum nō declarant: qui,quæ deſunt in ſyllogiſmis, & methodo,nō addunt, quæ ſuperſunt,nō detrahunt:qui perturbata & indigeſta non diſtinguunt,neq; ordine collocant: qui uaria argumēta, uarias ſententias, uarias expoſitiones,ſine cenſura ſectantur: qui ſparſa,uno loco non colligunt: qui falſa argumenta



menta à ueris,inconſequentes ſyllogiſmos à conſequentibus nō ſeparant:qui autores, ex quibus mutuatus eſt ſua Ariſtoteles, nō conſulunt: qui aliorum philoſophorū opiniones pro Ariſtoteleis recipiunt: qui ſententias plebeias ſine autore,& ratione mordicus tenent:qui diſputationes integras,& libros Ariſtoteli falsò aſcribūt: qui ſententias philoſophorum, ab Ariſtotele refutatas,non examinant:qui in quęſtionibus incertis, ſententiam certam nō pronunciant: qui præcepta Ariſtotelis cum exemplis illius non cōparant: qui exempla Arithmetica, Geometrica, Muſica, Aſtronomica, Coſmographica, Architecturæ, Phyſica, Medica,Philologica,Poëtica,& Hiſtorica contemnunt:qui uerum præceptorū uſum ignorant,ac tandem omnia bonarum artiū ſtudia inſatiabili lucri cupiditate corrumpunt. Hæc Academia Valentina, ſi loqui poſſet,moneret,hortaretur,oraret. Nos uerò,magiſtri doctiſsimi,noſtræ parenti morem geramus, & partitis, diſtinctiſq; inter nos laboribus, his obſcuritatibus Ariſtotelis medicinam aliquam faciamus. ut, qui utranq;

Universidad de Deusto Biblioteca



utranq; linguam perfectè norunt, de exemplariũ uarietate cenſeant: qui uoces idẽ declarantes annotent, & nominũ ambiguitatem diſtinguant, & uim ſermonis Gręci, & proprietatẽ declarent, & quibus uerbis alij Philoſophi utantur, doceant, & uarietatem uerſionum comparent, & quæ uoces Latinæ, quibus barbaris reſpondeant, obſeruẽt, & textus mutilos & deprauatos in priſtinã dignitatem reſtituant, & uocabula artium, & diſtinctiones barbaras oratione apertiori illuſtrent, & quæ deſunt, in cõtextu Ariſtotelis addant, quę redundant, detrahant, & hyperbata in rectum ordinem reuocent. Logici quibus argumẽtis, qua forma ratiocinationum, qua methodo uſus ſit Ariſtoteles doceant, iidem aliena argumenta, alienos ſyllogiſmos, alienam methodũ in ſua loca reſtituant: ijdem obſcura argumenta, obſcuros ſyllogiſmos, obſcuram methodũ aperiant. Si quid in ſyllogiſmis & methodo redundet, ſeparent, & ſi quid deſit, adijciant: ijdem, quę ordine carent, diſtinguãt & ordine collocent: uaria argumenta, uarias ſententias, uariam methodum examinent:



nent: ſparſa in unum locum conferant: quę falſa ſunt, & inconſequentia, reprehendãt. Philoſophi ſententias Philoſophorum, ex quibus ſuam mutuatus eſt Ariſtoteles oſtẽdant, alienas ſententias, aut ſine autore pro Ariſtotelis receptas, expellant: germanos Ariſtotelis libros ab adulterinis diſcernãt: quas quæſtiones poſuerit Ariſto. exercitationis cauſa, non ueritatis, profligẽt: præcepta Ariſto. cum eiuſdem exemplis comparent: Mathematici exempla Arithmeticæ, Geometricæ, Muſicæ, Aſtrologiæ, Architecturæ, explicẽt: Phyſiologi Phyſica exẽpla declarent: Medici medica explanent: Philologi Hiſtorica, Poëtica, & Philologica exponãt: Philoſophi tandem fructus ueros Logicæ & Philoſophiæ diligenter, & accuratè demonſtrent, ut, omnium artiũ & doctrinarum cõiuncta opera, auditores noſtri, paruo tempore, & exiguo labore, optatum finem logicæ, & utriuſq; Philoſophię, nõ ſine magna uoluptate, cõſequãtur.

*Habita in Academia Valentina ad. 16. Calendas Septembreis. Anno 1553.*

Universidad de Deusto Biblioteca



# PETRI IOANNIS NVNNESII VALENTINI DE CONSTITVtione artis Dialecticæ libellus: in quo exemplo Galeni docetur ex notione finis, cur ſingula præcepta artis tradantur.

QVIA Dialectica eſt comes atq; miniſtra cùm Rhetoricæ, tum Philoſophiæ, rectè à Peripateticis ante vtrãq; traditur: præſertim cũ ita ſit cõparata ratio vitæ, naturæq; noſtræ, vt primum ſermone, deinde ratione, poſtremò orationis ornatu vtamur. Sed quoniam multiplices ſunt ſignificationes Dialecticæ, atq; Logicæ, primò nominis ambiguitas diſtinguenda eſt, ne quam

Universidad de Deusto Biblioteca



afferat animis noſtris perturbationem. Ac Dialecticæ quidem, vt ait Alexāder, quatuor ſunt ſignificationes: prima iudicio Platonis, methodus diffiniendi & diuidendi: quā Plato nominat apicem: quia eſt omniū ſcientiarum præſtantiſſima. Secūda de ſententia Stoicorum, iudicium, quod fit ſyllogiſmo tantum. Tertia ars probabilium, quā ſequitur Ariſtoteles in Topicis. Quarta, iudicio omnium Philoſophorum, tota ars, quæ inuentione & diſpoſitione continetur. Tres autem poſteriores ſignificationes ad nomen Logicæ transferuntur: quibus addūtur duæ ex vi nominis. Nam cùm Logica ἀπὸ τοῦ λόγου dicatur, λόγος autem ſignificet ſermonem & argumentum, hinc duæ exiſtunt ſignificationes: vna qua Grammatica, Dialectica, & Rhetorica communi Logicæ nomine appellantur: quia circa orationē verſantur. altera, qua Rhetorica & Dialectica





Logicæ nominantur: quia vtraq; iudicio veterum tradit rationem inueniendi & collocandi argumēta. Propoſitum verò nobis eſt de ea ſignificatione Dialecticæ diſputare, quæ totam artem complectitur. Cuius origo quærenda primum eſt. Dialectica profecta eſt à naturali vſu diſputandi. Nam cùm animaduertiſſent Philoſophi, quēadmodū oēs homines inuenirēt, & diſponerent, præcepta artis Dialecticæ notarūt, quibus additio poſterorū magnū attulit incremētū. vt ad præcepta methodi tradita à Platone, Ariſtoteles adiunxit figuras ſyllogiſmorum: ad huius autē Dialecticam Theophraſtus, et Eudemus ſyllogiſmos hypotheticos adiunxerunt. à quibus initijs profecta Dialectica, beneficio methodi, ita perfecta eſt, vt nihil in ea deſit, neq; redundet. Eſt enim methodus, vniuſcuiuſq; artis perfectio, & abſolutio. Ad quam perficiendam quatuor res

Universidad de Deusto
Biblioteca



*obſeruandæ ſunt: finis, ad quem præcepta artis referuntur: materia, circa quam verſantur: officia, quæ quiſq; artifex debet ſuſcipere ad finem conſequendum: inſtrumēta, quibus munitus præclarè ſuo munere fungatur. Porrò autem finis artis eſt, id extremum ad quod omnia præcepta referuntur, & ipſum aliò nõ refertur. Ex qua diſfinitione efficiuntur duo conſectaria: vnum finem non eſſe præceptum: alterum, nullam eſſe finis conſultationem, ſed præceptorum, quibus inſtructum eſſe oportet artificem, vt finem aſſequatur. Vt in Medicina nõ venit in conſultationem num curandus ſit homo, ſed quæ remedia adhibenda ſint vt curetur. Finis autem in nulla re magis apparet, quàm in materia ſubiecta. Quæ duplex eſt: vna artis, altera artificis. Subiecta artis ſunt præcepta, quæ arte explicantur. vt in Dialectica, præcepta inuentionis & diſpotionis.*



*ſpoſitionis. Subiectum verò artificis eſt, in quo cognita artis præcepta exercet: vt Dialectico ſubiectæ ſunt res omnes, de q̃bus cũ diſſeritur, quæſtiones vocãtur: ratio quoq; noſtri ingenij cõmunis eſt rerum omnium. ita fit vt quæſtio, aut ratio materia Dialectico ſubiecta dicatur. Quibus ita conſtitutis, perſpicuum fit finem Dialectici eſſe, vti ratione, aut diſſerere, aut diſceptare, aut diſputare: nã hæc omnia vnũ, idemq; valẽt. Cognito fine, facilè diffinietur Dialectica. Nã materia & inſtrumenta cõmunia ſunt cũ multis artibus, ſingula verò officia, quãquam propria ſunt cuiuſq; artis, tamẽ quia non complectũtur totam artis vim, nullum afferunt præſidium ad diffiniendum. at verò finis, qui & ſoli, & toti arti conuenit, ad diffiniendam artem plurimum valet. Ita Dialectica diffinitur à fine: ars diſſerẽdi. Artem voco rationem, viam, methodum,*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*doctrinam: quæ nihil aliud planè eſt, quàm diſpoſitio quædam à generalioribus præceptis ad ſpecialiora progrediens, per quam res facilius percipi, doceriq́; poſsit. Et quoniam coniuncta eſt quæſtio officij atque finis, nūc de officijs Dialectici diſputandum eſt. Officiū eſt opus extremū, quod quiſq; artifex præſtare debet, vt finem ſibi propoſitum cōſequatur. Ex qua diffinitione tria conſectaria colliguntur. Primum, officium eſſe proprium cuiuſq; artis. Secundum, vltimum eſſe, ſed ante finem. Tertium, verſari in actione. Quamobrem cùm omne officium in actione poſitum ſit, tot erūt officiorum genera, quot ſunt exercitationis. Duo autem ſunt genera exercitationis: geneſis, quæ eſt confectio noui operis, & analyſis, quæ retexit opus confectum, & ad ſua principia reuocat. Quare duo ſunt officia Dialectici: vnum, conficere opus nouum: alterū,*





*de cōfecto opere iudicare. Quoniam autem in officio poſteriori vitia à virtutibus ſeparamus, quot erunt vitia rationis, tot erunt officia præſtanda. quinque autem ſunt vitia rationis: alienum, obſcurum, ambiguū, falſum, & inconſequens. Ex his exiſtunt quinque officia Dialecticæ: aliena eijcere, obſcura explicare, ambigua diſtinguere, falſa refutare, & inconſequentia tollere. Cumq́; officia ſine præſidijs inſtrumentorū præſtari nō poſsint, de inſtrumētis hoc loco diſputandum eſt: quorum cognitio repetenda eſt ex officijs, ad quæ referuntur. Principiò igitur vt opus nouū conficiamus, qualis eſt laudatio, primū quærimus argumenta, quæ ad laudandum valeant: deinde inuenta argumenta ordine collocamus. Item ad iudicandum de confecto opere: vt ad refutandam ſententiam falſam, primùm argumēta cogitamus, poſtea diſponimus. Ex*

Universidad de Deusto
Biblioteca



his perſpicuum fit duo eſſe inſtrumenta artis Dialecticæ, inuentionem & diſpoſitionem quæ etiam partes ſunt: vt manus quæ pars eſt corporis, & inſtrumentũ dandi & accipiendi. Quamobrem Dialectica diuidetur in duas partes: vnam inuentionis, alteram diſpoſitionis. Inuentio eſt ratio argumenti inueniendi ad explicandam quæſtionem. quæ prior eſt diſpoſitione ordine naturæ, & doctrinæ. nam nec poteſt fieri ſyllogiſmus, neq; doceri ſine inuẽtione medij argumenti. neq; methodus ſine inuentione percipi: cùm conſtet ex diffinitione, diuiſione, & exemplis: quæ partes ſunt inuentionis. Inuẽtio autem non ſuppeditat argumenta, ſed indicat tantum vbi quærenda ſint. Suppeditantur verò ab ingenio, vſu, & artium cognitione. non ſecus ac medicus non præbet pharmaca, ſed præſcribit quæ ſumenda ſunt à pharmacopola. Argumenta verſan-





tur circa quæſtionem. Quæſtio eſt id de quo agitur: idq́; ſi vna voce explicetur, vocatur quæſtio ſimplex: vt, quid ſit homo: ſi duabus, quæſtio coniuncta: vt, ſit'ne Dialectica laudanda? quarum quæ antecedit, pars ſubiecta vocatur: vt Dialectica: at quæ ſequitur, attributa: vt laudãda. Ex quæſtione eruuntur argumẽta: quæ colliguntur hac methodo analyſeωs. omnia argumenta aut ſumuntur ex partibus quæſtionis, quæ vocãtur ab Ariſtotele τεχνικὰ, à Cicerone inſita, aut ex totius quæſtionis enuntiatione: quæ dicuntur ab Ariſtotele ἄτεχνα, à Cicerone aſſũpta. Inſita aut ſunt ſimplicia, aut coniuncta. coniuncta voco, quæ ex alijs argumentis ducuntur: vt diuiſiones & diffinitiones, quæ ducũtur ex varijs locis. Simplicia, aut ſunt rei, aut nominis. Nominis: vt notatio, & coniugata: quorũ meminit Ariſtoteles cùm in Topicis, tum in Rhetoricis.

Universidad de Deusto Biblioteca



*Argumenta rei aut ſimpliciter tractantur aut cum cõparatione. Comparationes ſunt maiorum, minorum, parium, ſimilium, aut diſsimilium. quarum frequẽs mentio in Topicis Ariſtotelis. Quæ ſimpliciter tractantur, aut explicantur directò, aut ad incommodum, & aut cum eadem qualitate propoſitionum, aut cum diuerſa. Si directò, aut cum eadem qualitate, conſentanea ſunt: ſi ad incommodum, aut cum diuerſa qualitate, diſſentanea: qualia ſunt cõtraria. de quibus diſputat copioſè Ariſtoteles in categorijs. Conſentanea, aut habent eam vim, vt vnum ex altero efficiatur: qualia ſunt cauſæ, & effecta: aut non, cuiuſmodi ſunt ſubiecta, & adiuncta. Quamobrem decẽ ſunt genera argumentorum: cauſæ, facta, ſubiecta, adiuncta, diſſentanea, comparationes, nomina, diuiſiones, diffinitiones, & teſtimonia. Cauſa eſt, cuius vi aliquid fit: vt ignis calo*

*calo*



*caloris. Cuius quatuor ſunt genera: finis, forma, efficiens, materia. Finis eſt cauſa, cuius gratia aliquid fit: vt beatitudo omnium actionum humanarum. Forma eſt cauſa, per quam vnaquæq; res eſt hoc ipſum quod eſt, & à cæteris rebus eiuſdem generis ſeparatur: vt animus compos rationis eſt forma hominis. Efficiens eſt, à qua res eſt, vt ignis caloris. Quæ trifariã diſtinguitur communi methodo colligendi differentias. Ex re quæ facit, ex re quæ efficitur, & ex modo efficiendi. A re quæ facit; cauſa aut eſt abſoluta, aut adiuuãs: abſoluta eſt, quæ ſine alterius præſidio rẽ facit: vt ignis calorem. Adiuuãs eſt, quæ aut aliam iuuat, aut ab alia iuuatur. qualia ſunt inſtrumenta. A re quæ fit: cauſa aut eſt procreans, aut conſeruans. procreans, vt pater filij: conſeruãs vt exercitatio moderata bonæ valetudinis. A modo efficiendi: aut ſponte, aut nõ ſponte.*

*te.*

te. Sponte: vt homo particeps conſilij: non ſponte, aut natura, vt ignis calfacit, aut neceſſitate, vt homo morbo laborans nõ interfuit die dicto, aut fortuna vt Adraſtus, miſſo telo in feram, occidit filium Chrœſi. Materia eſt, ex qua aliquid fit: vt æs ſtatuæ. Facta ſunt, quæ ex cauſis exiſtunt: vt calor eſt effectum ignis. Subiecta ſunt, quæ ſubijciũtur adiunctis: vt homo calori, & adiuncta, quæ ſubiectis adiunguntur: vt calor homini. Hæc aut inter ſe coniuncta cohærẽt, aut ſeparata, & auulſa. Coniuncta ſunt, quæ inſunt, in re ſubiecta: vt candor in homine. Auulſa aut verſantur circa rem aliquam, vt auditus circa ſonos, aut circunſtant tantum, vt comitatus hominem circũſtat. Diſſentanea ſunt, quæ in eadem re ſimul affirmari & negari non poſſunt. Quæ aut ſunt contraria, aut repugnantia. contraria ſunt, quorum vnum tantum vni certa lege repugnat:

gnat.



gnat: vt candor nigrori. Repugnantia, quorum vnum multis eadem lege repugnat. vt Socrates Platoni, Ariſtoteli, & reliquis hominibus. Contrariorum quatuor ſunt genera: aduerſa, relata, priuantia, & contradicentia. Aduerſa ſunt, quæ ſub eodem genere comprehenſa, plurimum inter ſe differũt: vt candor & nigror ſub colore. Relata, quorum vis & natura in comparatione poſita eſt: vt pater & filius. Priuantia, quæ priuationem & habitum rei declarant: vt aſpectus & cæcitas. Contradicentia, quorum vnum ait, alterum negat: vt Socrates eſt albus, Socrates non eſt albus. Atq; hæc ſimplicia argumenta ſunt: reliqua comparata, quæ inter ſe conferuntur. Quorum quinq; ſunt genera: maiora, minora, paria, ſimilia, diſſimilia. Maiora, vt magiſter & diſcipulus. Minora: vt diſcipulus, & magiſter. Paria: vt pater & mater. ſimilia: vt

ſomnus,

Universidad de Deusto Biblioteca



ſomnus, & mors. diſsimilia: vt homo, & equus. Argumenta à nomine, aut ſunt notationes, aut coniugata. Notatio: vt ſtudium ſapientiæ, eſt Etymologia Philoſophiæ. Coniugata, quæ ab eodem principio orta, variè commutantur: vt iuſtus, iuſtitia, iuſtè. Hactenus de locis ſimplicibus, nunc coniuncti ſequuntur. Qui duo ſunt: diuiſio, & diffinitio. Ac diuiſio prior eſt diffinitione vtroque ordine naturæ & doctrinæ. Diuiſio eſt totius in partes diſtributio. Quot igitur ſunt genera totius & partium, totidem erunt diuiſionum. Totius autem, & partium quatuor ſunt genera: cauſæ, effecta, ſubiecta, & adiuncta. quare quatuor genera diuidendi. Primum, ex cauſis: cùm res diuiſa eſt effectũ, & partes diuidentes ſunt cauſæ: vt diuiſio hominis in animum compotem rationis, & corpus. Secundum, ex effectis: cùm res diuiſa



uiſa eſt cauſa, & partes diuiſionis effecta: vt homines, alij ſtudẽt gloriæ, alij quæſtui, alij cognitioni rerum. Tertiũ, ex ſubiectis: cùm res diuiſa eſt adiuncta, & partes diuidẽtes ſunt ſubiectæ: vt homines aut incolunt Aſiam, aut Africam, aut Europam, aut nouum orbem. Quartum, ex rebus adiunctis: cùm res diuiſa eſt ſubiecta, & partes diuidẽtes ſunt adiunctæ: vt homines alij candidi, alij nigri, alij medio colore tincti. Ad hoc vltimum genus refertur diuiſio accidentis in accidentia: vt res candida, aut eſt dulcis, aut amara. Quatuor ſunt præcepta diuidendi. Primum vt diuiſio retro commeet cum partibus ſimul ſumptis: vt ſi animal eſt, aut particeps rationis eſt, aut expers, & viciſsim. Secundum, vt nihil deſit, neq; ſuperſit. Tertium, vt diuiſio conſtet ex partibus contrarijs: vt animalium aliud particeps rationis, aliud expers.

Qua-

Quartum vt diuiſio, ſi fieri poteſt, cōſtet ex duabus partibus: quod præceptū Platonicum eſt, ab Ariſtotele confutatū multis argumentis. 1. de partibus animaliū. Abſoluta diuiſione, ſequitur diffinitio: quæ ſic explicatur, quid ſit. Eſt oratio, quæ explicat, quàm breuiſsimè naturam rei. Naturam autē rei voco, hoc ipſum quod res eſt. Quæ ſi corporea ſit, nihil aliud eſt, quàm partes eſſentiales ſimul ſumptæ: vt homo nihil aliud eſt, quàm corpus & animus compos rationis. ſin autē vacat corpore, nihil aliud planè eſt, quàm finis & cauſa efficiens: vt Dialectica, eſt ars diſſerendi: ars eſt cauſa efficiens Dialecticæ, finis verò diſſerere. Hinc efficitur perſpicuum ſolam diffinitionem ex cauſis, propriè diffinitionem vocari, reliquas autem finitiones, quæ ex reliquis locis ducuntur, deſcriptiones eſſe. Porrò autē diffinitio rei corporeæ ex omnibus

cauſis

Universidad de Deusto Biblioteca



cauſis duci poteſt: vt animal particeps rationis. Nam in animali intelligitur corpus, quæ materia hominis eſt: ratio verò eſt forma, efficiens, & finis. rei autem quæ vacat corpore, non poteſt tradi diffinitio ex omnibus cauſis: quia caret materia & forma, ſed ex efficiente tātum, & fine. Deſcriptio ducitur ex reliquis locis à factis: vt homo eſt animal natum ad riſum: à ſubiectis: vt fortitudo eſt virtus, quæ in periculis verſatur. ab adiunctis: vt homo eſt animal erectum, maximo inter animalia cerebro, latos habens vngues. à contrarijs: vt virtus eſt fuga vitiorum. à comparatione: vt ſomnus eſt imago mortis. ab etymologia: vt Grammatica eſt ars literarū. à diuiſione: vt Dialectica eſt ars inueniendi, & diſponendi: omnis autem diffinitio conſtat ex duabus partibus: ex genere, & differentia. Genus, eſt notio communis, quæ plures formas ſui

G ſimi-

Universidad de Deusto Biblioteca



ſimiles cōplectitur. Cuius propriū eſt, vt interrogāti de ſpecie quid ſit, appoſitè reſpondeatur: vt quid eſt homo? eſt animal. Differētia eſt propria cuiuſq; rei nota, per quā vnaquæq; res eſt hoc ipsū quod eſt, & à reliquis rebus eiuſdē generis ſeparatur: vt particeps rationis eſt propria nota hoīs: à qua homo eſt, et dicitur, et à reliquis aīalibus ſeparatur. Tria tradūtur præcepta benè diffinīedi. primū, vt diffinitio reciprocetur cū re diffinita: vt ſi homo eſt, aīal particeps rationis eſt, & viciſsim, ſi aīal particeps rationis eſt, homo eſt. Secūdū, vt diffinitio ſit breuis, modò ſit perſpicua. breuē autē voco, in qua nihil deeſt, neq; redūdat. redūdare autē dicitur in diffinitione, id quo ſublato, reliq̃ oratio explicat naturā rei: vt in hac diffinitione aīal cōpos rationis natū ad riſum, ſupereſt natū ad riſum, quia hac voce ſublata, quæ relinquitur oratio eſt perfecta homi



nis diffinitio. Tertiū, vt ſi fieri poſsit, verba propria in diffinitione adhibeātur, nō trāſlata. Expoſitis inſitis locis, de aſſumptis diſſerendū eſt. Aſſumpta ſunt quæ ex enūtiatione totius quæſtionis eruūtur: qualia ſunt teſtimonia diuina, & humana. Abſoluta inuētione, diſpoſitio explicāda eſt. Diſpoſitio eſt apta rerū inuentarum collocatio. Iudicium vocatur ab ijs, qui ſyllogiſmum ſolum huic patri ſubiecerunt. Diſpoſitionis duo ſunt genera: argumentatio, & methodus. Argumentatio eſt conſtās collocatio argumenti cum tota quæſtione, aut cum ſingulis partibus quæſtionis, ad veritatem iudicandam. Argumentatio dicitur, quia eſt argumenti explicatio. Vocatur etiam ſyllogiſmus, & ratiocinatio, ſumpta metaphora à menſarijs. Nam quēadmodum illi addendo, & deducēdo vident, quæ reliqui ſit ſumma, ſic ſyllogiſmo ſumma veritatis colligi-

 tur.

Universidad de Deusto Biblioteca



tur. Partes argumentationis aliæ ſunt maiores, aliæ minores. Maiores ſunt enuntiationes: vt omnis homo eſt animal. Minores ſunt ſingulæ voces: vt, homo, & animal. Maiores partes ſi duæ ſunt, argumentatio vocatur Enthymema: quarum prima antecedens, extrema conſequens nominatur: vt in hac argumentatione; Inſidiatorem licet occidere: ergo Clodium licuit Miloni occidere. antecedens eſt, omnem inſidiatorem licet occidere. reliqua verò pars eſt conſequens. At ſi ſunt tres partes, prima propoſitio vocatur, ſecunda aſſumptio, tertia complexio: diciturq́; ratiocinatio tripartita: vt, omne animal eſt ſubſtantia, eſt propoſitio: omnis autem homo eſt animal, aſſumptio: igitur omnis homo eſt ſubſtantia, complexio. Fieri autem poteſt, vt tres propoſitiones in vnam conferantur: tumq́; fit Epicherema: vt, mater occidiſſet filium! quaſi dicas,





cas, nulla mater occidiſſet filium: Medea autem erat mater: non occidit igitur filios. Tres ſunt partes minores. quarum quæ attribuitur in quæſtione, maius extremū nominatur: vt in ſuperiori ſyllogiſmo, ſubſtantia: at verò quæ ſubijcitur, minus extremū, vt homo: tertia, quæ ad iudicandam quæſtionem affertur, medium dicitur, ſeu argumentum. Argumentum autem ad locos inuentionis referendum eſt: idq́ue variè nomina argumentationum commutat. Nam ſi ducatur ex cauſis, præſertim ijs quæ carent medio, vocatur demonſtratio propter quid: vt omne animal particeps rationis eſt natum ad riſum: omnis autē homo eſt animal particeps rationis: omnis igitur homo natus eſt ad riſum. Si ab effectis, vocatur demonſtratio quia: vt, omne quod micat radijs longius mouetur à nobis: ſtellæ autem non errantes micāt radijs: ergo longius mouentur

Bibliotheca
Facult. Philosophiae
Provinciae Loyolensis S.I.

*uentur à nobis. Si à contradicentibus ducatur argumentum, vocatur argumẽtatio ad incommodum: vt, ſi virtus non eſſet expetenda, vitiũ eſſet expetendum: hoc autem perabſurdum eſt: quare virtus eſt expetenda. Si à pari, fit exemplum: vt, ſi Milo occidit iurè Clodium inſidiatorem, & Cicero occidit iurè Catilinam. Si à ſimili, parabola: vt, quemadmodum oculus dirigit corpus cæcum, ſic mens animi perturbationes moderatur: primum autem verum: ergo extremum. Si à duabus partibus cõtrarijs ducatur argumentũ, fit dilemma: vt, aut ducenda eſt vxor formoſa, aut deformis: non formoſa, quia cõmunis: nec deformis, quia moleſta: quare non eſt ducenda vxor. Si à pluribus partibus ducatur argumentum, fit exemplum. Si ab omnibus, inductio: vt Socrates, Plato, & Ariſtoteles, & reliqui homines ſunt animalia: ergo omnis homo eſt animal.*

Universidad de Deusto Biblioteca

Bibliotheca ... Facult. Philosophiae Provinciae Loyolensis S.I.



*animal. Argumentatio aut eſt neceſſaria, aut non neceſſaria. Neceſſaria eſt, cuius ſi antecedens verum eſt, & conſequens verum eſt. Non neceſſaria autem eſt, cùm in ſimili forma argumentandi poteſt inueniri antecedens verum, & conſequens falſum: qualis eſt argumentatio ex omnibus enunciationibus proprijs, aut negantibus. Ex proprijs: vt, aliquod animal eſt leo: aliquis homo eſt animal: ergo aliquis homo eſt leo. Ex negantibus: vt, nullus lapis eſt animal: nullus homo eſt lapis: ergo nullus homo eſt animal. Quod ſi in hac forma argumẽtandi non neceſſaria ex antecedente vero, ſequatur conſequens verũ, id fiet cauſa materiæ, & inuentionis, non cauſa formæ, & collocationis. Duæ regulæ traduntur, ad quas dirigitur argumẽtatio neceſſaria: vna vt ex oppoſito conſequentis, ſequatur oppoſitum antecedentis: vt, ſi homo eſt, animal*

Universidad de Deusto
Biblioteca



eſt: quod ſi non eſt animal, nõ eſt homo. Altera, vt ſi quid ſequatur conſequens, & antecedens ſequatur: vt, ſi homo eſt, animal eſt: ſi animal eſt, corpus eſt: ita ſi homo eſt, corpus eſt. Addũtur his duo præcepta argumentationis neceſſariæ: primũ, ex vero nõ ſequitur niſi verum. Extremum, ex falſo interdum falſum efficitur, interdum etiam verum: non tamen cauſa materiæ, quia nulla veritas eſt cauſa mẽdacij, nec viciſsim, ſed collocationis cauſa: vt, omnis cãdor eſt animal: omnis autem homo eſt candor: ergo omnis homo eſt animal. Atque hæc de argumentatione. Altera pars diſpoſitionis eſt methodus. Quæ eſt argumentorum collocatio: quæ duplex eſt: doctrinæ, & prudentiæ. Methodus doctrinæ, eſt collocatio à generalioribus ad ſpecialiora progrediẽs; per quam vnaquæque res facilius percipi poſsit: vt colligitur ex primo de parti-

bus



bus animalium. Hæc aut eſt diffiniendi, aut demonſtrandi, de methodo demonſtrandi aliâs diſſeremus. methodus diffiniendi conſtat diffinitione, diuiſione, & exemplis: vt ſi quis doceat Rhetoricam orſus primùm à diffinitione, tum totam artem diuidat, ac ſingulas partes diffiniendo illuſtret, dum tota ars hac progreſſione conſumatur. Methodus prudentiæ eſt diligens obſeruatio perſonarũ, temporum, locorum, & rerum: qua vtendum eſt, cùm methodo doctrinæ non conceditur vti: vt ſi doceantur multæ res, quarũ aliæ alijs ſint generaliores, proximum eſt, vt eæ primùm explicentur, quæ maiori affinitate coniunctæ ſunt: deinde, quæ à prioribus diſsident.

Atque hæc de conſtitutione artis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

# COMMENTARIVS IN LIBELLVM DE CONSTITVTIONE ARTIS Dialecticæ autore Petro Ioanne Nunneſio Valentino.

INSCRIBITVR *hic libellus de Conſtitutione artis Dialecticæ, exemplo Galeni. Nam quemadmodum ille ex fine reſolutionis qua vtitur in explicanda arte Medica, librũ de conſtitutione artis medicæ nominauit, ſic hic libellus de conſtitutione artis Dialecticæ inſcribitur, propter methodũ reſolutionis, qua docetur. Eſt autem methodus reſolutionis ea, quæ ex notione finis, totam artem explicat: vt ait Ariſtoteles. 3. cap. 5. Ethici, & Galenus initio artis paruæ. Propter hanc methodũ Ariſtoteles Priora & Poſteriora Analytica appellaſſe videtur. Etenim in Prioribus demonſtrat quæ ratiocinationes vtiles ſint, & quæ ἀσυλλόγιστοι & inutiles, ex fine ratiocinationis, & .2. cap. 1. Poſteriorum demonſtrat quales ſint ſumptiones in omni demonſtratione, ex fine demonſtrationis. Nam ſi omnis demonſtratio ſciẽtiam parit, quæ finis demonſtrationis eſt, neceſſe eſt vt demonſtratio conſtet ex primis, veris, neceſſarijs, notioribus, & cauſis concluſionis. Huic methodo reſolutionis pro*



*nis propoſitum eſt, inuenire veritatem artium, vt tradit Galenus initio artis paruæ. Ex quo efficitur, vt per Metonymiam à fine conſtitutio artis nominetur: quæ etiam ab Ariſtotele. 7. Metaphyſico geneſis artis vocatur.*

*Quia Dialectica eſt comes atq; miniſtra.*] *Ariſto. 1. Topico. cap. 7. quæſtionem Logicam facit σύνεργον Philoſophiæ vtriusq;. quam vocem vetus interpres vertit adminiculatiuam, Cicero autem in Partitionibus, quo loco de virtutibus diſputat, vertit miniſtram & comitem: his verbis. Sunt autẽ aliæ, quaſi miniſtræ comitesq; ſapientiæ, quarum altera, quæ ſint in diſputando vera, atq; falſa, quibusq; poſitis, quid ſequatur, diſtinguit, & iudicat: quæ virtus omnis in ratione, ſcientiaq; diſputandi ſita eſt: altera autem oratoria. id eſt, Logica & Rhetorica ſunt inſtrumenta Philoſophiæ, vt vulgò Philoſophi loquuntur. De qua re poſtea diſputabimus.*

*Rectè à Peripateticis ante vtranq; traditur.*] *Exiſtit hoc loco quæſtio de ordine tradendarum artium. Plato quidem. 7. de Republica Mathematicas appellat προπαιδείας, quaſi dicat, priores inſtitutiones: quia vult ante Dialecticam, & cæteras artes Mathematicas doceri. Neque mirum, cùm Mathematicæ efficiant ingeniũ promptiſſimum ad quaſuis artes percipiẽdas, præſertim Arithmetica: vt demonſtrat Plato eodem loco. Et cùm demonſtratio, quæ præſtantiſſimum inſtrumentum Logicæ eſt, mirabilius in Mathematicis appa*

Universidad de Deusto
Biblioteca



appareat, vt Galenus multis in locis demõſtrat, quàm in cæteris artibus: propterea quòd ijs principijs vtuntur, quæ communi hominum conſenſu approbantur: qualia ſunt, omne totum maius eſt ſua parte, quæ ſunt paria alteri rei, ſunt paria inter ſe. Hinc in gymnaſio Platonis ſcriptũ erat, ne quis huc ingrediatur expers Geometriæ. Hinc etiam Plato obſcuriſsimas quaſq; diſputationes, numerorum & figurarum ſimilitudine, explicauit: vt diſputationem de elementis, & de procreatione animorum: quòd eos auditores doceret, qui Mathematicas artes didiciſſent. Ariſtoteles etiam omnes ſuos libros exemplis Mathematicis illuſtrauit, ſperans, vt credo, fortè non eſſe legenda ſua opera niſi ijs auditoribus, qui antea Mathematicas artes percepiſſent: Sed cùm Dialectica contenta ſit ſenſu communi, & abſq; exemplis Mathematicis comprehendi poſsit, non erunt neceſſariò Mathematicæ ante hanc tradendæ. Neque minus inſtruit ingenium Dialectica, quàm Mathematicæ ad perceptionem artium, neq; demonſtratio Mathematica magis apparebit, quàm reliquarum artiũ, niſi antea quid demonſtratio ſit, quod propriũ eſt Dialecticæ, doceatur. Quod & Plato declarat eodẽ de Republica libro, cùm ſolam Dialecticam ſcientiam nominari debere exiſtimat, propterea quòd hæc ſola ſine præſidio reliquarũ ſua principia demonſtrat, καὶ ἄνευ ὑποθέσεως, vt ipſe ait. Mathematicas verò ſcientias eſſe negat: quia vtũtur ijs principijs, quæ ignorant: qualia ſunt poſtulata, quæ niſi conceſſeris

Geome



Geometræ, ne digitũ vltra progredietur, & quia indigent præſidio Dialecticæ artis. Neq; verò Dialecticæ nomine eo loco vocatur Metaphyſica, vt voluit Marſilius Ficinus, quod poſtea intelligetur. Diogenes Apolloniates à Philoſophia morali auſpicandum eſſe voluit, propterea quòd nemo poteſt verè & incorruptè de rebus iudicare, niſi qui fuerit benè inſtitutus: quod tamẽ fieri poteſt abſque præceptis philoſophiæ moralis, ſi puer domeſticis exemplis, & admonitionibus parentum, affinium, & pædagogorũ inſtituatur. Panætius & pleriq; Stoici à Philoſophia naturali initium ſumendum eſſe cenſuerunt: quia res naturales faciliores ſunt cæteris rebus, cùm in ſenſus noſtros cadant, & earum maximus ſit vſus. Hæc ſententia fallax eſt: quia cognitio rerum naturaliũ, ſi certa ſit & neceſſaria, petenda eſt ex cauſis quæ & reconditæ ſunt, & à populari ſenſu remotæ. Quid? quòd à facilioribus non ſemper auſpicandum eſt, ſed cùm ea incidunt ſine quibus poſteriora percipi non poſſunt. at ſine cognitione rerum naturalium Dialectica poteſt intelligi. Atq; hæ ſententiæ Philoſophorum fuerunt de ordine tradendarum artium. Quibus ea præſtabilior eſt, quæ excepta Grammatica, Dialecticam cæteris artibus anteponit. Quæ ſententia præter alia multa duobus argumentis confirmari poteſt: vno à genere. Omne inſtrumentũ antecedit eam rem ad quam explicandam adhibetur: Logica autem inſtrumentum cõmune eſt, cuius præſidio cæteræ artes vtuntur ad diffiniendum, &

dum, &

Universidad de Deusto
Biblioteca



dum, & demonſtrandum: ergo docenda ante reliquas artes. Altero à ſimilitudine cauſarum efficientiũ: ars imitatur naturam: ordo autem naturæ hoc poſtulat, vt primùm loquamur, deinde vtamur ratione, poſtremò ſententias, & verba ornemus: quare primùm docenda eſt Grammatica, quæ inſtruit ſermonem: deinde Dialectica, quæ rationem informat: poſtremò Rhetorica, quæ ſententias & verba dicendo ornat. Naturam autem appello naturalem vſum cuiuſq; artis, quo homines ante inuentas artes vſi ſunt, & plæbeij quotidie ſine præſidio artium vtuntur: vt cùm diſputant lanij, textores, vetulæ. Nati enim factiq; ſumus omnes homines à natura omniũ parente ad cultum rationis, quę diſputatione exercetur. Sed de hac re copioſius diſputabimus, cùm de origine artis Dialecticæ diſſeremus.

Sed quoniam multiplices.] Vulgatum præceptum Dialecticorum illud eſt, vt ſi quæ vox occurrat ambigua, diſtinguatur prius, quàm quid ſit explicetur. Talia ſunt nomina Dialecticæ & Logicæ.

Vt ait Alexander] in commentarijs in Topica.

Iudicio Platonis Methodus diffiniendi] Marſilius Ficinus, vt ſupra docui, exiſtimat Dialecticæ nomine vocari à Platone Metaphyſicam, his locis credo deceptus, qui leguntur. 7. de Republica. Quorum primus eſt, in quo docet Dialecticam poſteriorem eſſe Mathematicis: Metaphyſica autem talis eſt. Argumẽtum non valet. nam ætate Platonis Dialectica poſt Mathematicas docebatur, propter eas cauſas, quæ ſupra ex-

positæ



poſitæ ſunt. Secundus: Dialectica ſola ſublatis ſuppoſitionibus omnibus ad ipſum principium pergit: Metaphyſica autẽ nihil poſtulat, ſed omnia principia cæterarum artium demonſtrat. Neq; iſtud valet. nam Logica nihil etiam poſtulat, ſed omniũ artium principia confirmat, quemadmodum docet Ariſtot. 1. Topico. cap. 2. Accedit etiam huc quòd præceptis & methodo Dialectica omnes artes conſtituuntur: ſola verò Dialectica ſeipſa contenta eſt: quare vera eſt oratio Platonis Dialecticam ſolam nihil poſtulare. Nam Grãmaticus cùm diffinit ſuam artem, doctrinam benè loquendi poſtulat à Dialectico, bene'ne an contra diffiniuerit. Tertius locus. Dialectica velut pinna eſt propoſita, nec vlla doctrina vlterius reperiri poteſt, ſed hic doctrinarum omniũ eſt finis: Metaphyſica autem omnium artium extrema eſt: ergo Plato nomine Dialecticæ vocauit Metaphyſicam. Hic locus ſic explicandus eſt. Propoſitum eſt Platoni. 6. & . 7. libris de Republica inſtituere Philoſophum: excepta autem Philoſophia docet. 7. libro inſtructum eſſe debere primùm Mathematicis artibus, deinde Dialectica. Quare meritò Dialecticam vltimam facit earum omnium artium quæ diſcendæ ſunt à Philoſopho, antequam Philoſophiam aggrediatur. Nam Mathematicas ante Dialecticam doceri debere demonſtrat. Quartus locus. Triginta annos nati duntaxat cautè admodum Dialecticas argumẽtationes deguſtẽt: hæc autẽ ars Logica vel à pueris diſci poteſt, Metaphyſica autem acrius indi-

cium

Universidad de Deusto
Biblioteca



cium poſtulat: ergo nomine Dialecticæ videtur Me-
taphyſicam intellexiſſe. Sed eo loco Plato cùm inſti-
tuat perfectam rempublicam, nõ patitur adoleſcentes
eam artem doceri, quæ eorum mores corrumpat: qua-
lis Logica eſt, tota poſita in cõcertando. Nam ex cer-
tamine Dialecticorum in contrarias partes, niſi quis
caueat diligenter, magna conſequuntur vitia: quæ So-
crates eo loco recenſet: vt inconſtantem eſſe, quoſuis
homines inſectari, & refellere eos homines, qui alios
confutant, ac vno verbo omnes ſcriptores labefacta-
re. Quæ omnia apertè declarant locum hunc non con-
uenire Metaphyſicæ, quæ in otio & contemplatione
rerum diuinarũ tota verſatur, ſed Logicæ, quæ tota
in diſputando poſita eſt. Quod ſi pars Philoſophiæ
perfectiſſima vocatur in Phædro, hoc ita accipiẽdum
eſt, Dialecticam cõiunctam cum rebus vocari partem
Philoſophiæ, vt Græci explicant, aut quod præſtabi-
lius eſt, cùm in Amatoribus Philoſophiam diffiniat fa-
cultatẽ bene, beateq́; viuendi, qua nos & alios iuua-
re poſſimus, Dialecticam vocat partem Philoſophiæ
perfectiſſimam, quia munit nos ad benè beateq́; viuen-
dum, docens opiniones, quæ veræ ſint, atque falſæ.
Quamobrem Logica vocatur à Platone nomine Dia-
lecticæ: quam ſententiam locus ille confirmat ex.7. de
Republica, in quo ſcribit, homines Dialectica arte in-
ſtructos fieri peritos ad promptè reſpondendum &
interrogandum, quod proprium eſt Logicæ, nõ Me-
taphyſicæ. Iam verò Ariſtoteles Dialecticam metho-
dum di



dum diuidendi à Platone traditam exagitat ſecunda
ſectione primi Priorum, &.2. Poſterioris Analyſeωs,
&.1. de partibus Animaliũ. atqui de ratione diuiden-
di nihil præcipit Metaphyſica, ſed Logica: quare vel
teſtimonio Ariſtotelis noſtra confirmatur ſententia.
Quid? quòd Proclus in cõmentarijs in Euclidem in
hac ſententia Platonem fuiſſe demonſtrat: & Græci
omnes interpretes cùm de Dialectica diſputãt, ſit'ne
pars Philoſophiæ, an inſtrumentũ, ſententiam Plato-
nis de Logica interpretantur. Quamobrem verè à no-
bis expoſita eſt ſignificatio Dialecticæ de ſententia
Platonis, cui tribuit Plato in Philebo rationem colli-
gendi multa in vnum, qua colligũtur diffinitiones, &
artes inueniuntur, & rationem diuidendi vnũ in mul-
ta, qua artes inuentæ docentur. quarum illa metho-
dus reſoluendi, hæc diuidendi vocatur. Quibus etiam
vtitur Ariſtot.14. cap.2. Poſteriorum ad diffinitio-
nes rerũ inueſtigandas, & Porphyrius capite de ſpe-
cie ad explicandam categoriam, & naturam generũ,
atque formarum.

Secunda de ſententia Stoicorum.] Hoc ſcribit Ci-
cero initio Topicorum, &.3. de finibus bonorum &
malorum. Iudicium autem fit ſyllogiſmo tantùm. Nam
inuentio vel in vna tantùm enuntiatione ſpectatur: vt
omnis homo eſt animal: homo quidem ſpecies eſt, ani-
mal genus. at verò iudicium minimum fit duabus enun-
tiationibus, comparato nimirũ argumento cum quæ-
ſtione: vt omnis homo eſt animal, quia ſentit. Neque
methodo iudiciũ fit, quia cauſa methodi admittuntur

Universidad de Deusto
Biblioteca



multa falſa: vt Ariſtoteles. 1. Topico diffinit falsò genus: accidit enim generi, vt interroganti alicui quid ſpecies ſit, reſpondeatur: ſiquidem hoc poſitum eſt in hominum voluntate. at Ariſtoteles cauſa methodi genus ita diffiniuit, quia propoſuerat ſibi de Dialectica diſputare, quæ poſita eſt in interrogando, & reſpondendo. Sic M. Tullius falsò quidē partitur doctrinam dicendi in vim oratoris, orationem, & quæſtionem: cùm præcepta orationis, & quæſtionis ſub vi oratoris contineantur: ſed id fecit cauſa methodi, vt omnia præcepta huius artis facilius complecteretur. Quamobrem non diuiſit artem, ſed doctrinam dicēdi, id eſt, methodum, qua colliguntur omnia præcepta Rhetoricæ, quæ veteres de quæſtione, oratiōe, vi oratoris tradiderunt. De quæſtione quidem initio naſcentis Rhetoricæ, de oratione creſcente Rhetorica, & de vi oratoris adulta iam Rhetorica & ad ſummum perducta. Sic excuſantur plerunq; optimi quiq; ſcriptores, quòd cùm de re aliqua ex profeſſo nō diſputent, falſum aliquid admittunt, aut, vt verius dicam, vitia negligunt, propterea quòd diſputatio non eſt propria eius loci, atq; temporis. Quare ſyllogiſmo tantùm iudicium fit veritatis: vt cùm iudicamus omnem temperantiam expetendam eſſe ſyllogiſmo ſimplici primæ figuræ ita concluſo. Omnis virtus eſt expetenda; omnis autē temperantia eſt virtus: ergo omnis temperantia eſt expetenda.

TERTIA ars probabilium, quam ſequitur Ariſtoteles.] Triplex eſt materia ſubiecta Dialectico: neceſſa





neceſſaria, vt Demonſtratori in Poſterioribus: probabilis, vt Dialectico in Topicis: apparens, vt Sophiſtæ in Elenchis. Hanc triplicem materiam complectitur quarta ſignificatio. tertia verò ad probabilia tantùm pertinet: qua vtitur Ariſtoteles in Topicis. Inter neceſſariū autem & probabile hoc intereſt, quòd probabile tam verum, quàm falſum eſſe poteſt modò in opinione hominum poſitū conſideretur, neceſſarium verò eſt tantùm id, quod verū eſt, vel ſi nemo ita eſſe exiſtimet. Atq; hac quidem ratione diſtinxit Ariſtoteles Dialecticam propoſitionem à Demonſtrante. Ex quo efficitur vt Dialecticam propriè vocet facultatem diſputandi ex probabilibus de quauis re propoſita: quæ docetur ab Ariſtotele in Topicis. à qua Logicam ſeparat. 8. cap. 1. Top. his verbis. Quæſtio omnis Dialectica aut pertinet ad cognitionem & veritatem, aut ad expetendum aut fugiendum, aut ad neutrum horum per ſe, ſed affert adiumētum ad vtrunq;. quaſi dicat: Non ſolùm quæſtiones Philoſophiæ contemplantis & agentis probabilibus argumentis explicari poſſunt, & in contrarias partes diſputari, verùm etiam quæſtiones Logicæ, quæ nec ſunt Philoſophiæ contēplantis, nec agentis, ſed ad vtranq; afferūt adiumentū. Hinc & Alexander cū explicat vtilitates Dialecticæ cap. 2. primi Top. ſcribit nō ſolùm vtilem eſſe ad Philoſophiam, verùm etiam ad Rhetoricam & Logicam, quaſi de ſententia Ariſtotelis Logicam à Dialectica diſtinguendam putet. Quam diſtinctionē Plotinus tradidit Enneade. 1. libro de Dialectica. Nam

Logicæ tribuit diſputationem de propoſitionibus & ſyllogiſmis, Dialecticæ verò reliquam partem artis.

Tres autem poſteriores ſignificationes.] Prima ſignificatio Dialecticæ non transfertur ad Logicam: quia in Platone nunquam ferè legitur nomen Logicæ, & Plotinus ſtudioſus illius ſectator Logicam à Dialectica ſeparat. Ariſtoteles etiam interdum argumẽta probabilia vocat Logica. Ex quo etiam videtur facultatem probabilium logicam nominaſſe. Cicero autẽ initio libelli de Fato totam artem logicã nominat his verbis: Totaq; eſt logicæ, quã rationẽ diſſerẽdi voco.

λόγος autẽ ſignificat ſermonem & argumentũ] Ariſtot. 1. Poſteriorum cap. 8. facit duplicem λόγον τὸν ἔσω, id eſt, internam rationem, quam argumentum interpretor, καὶ τὸν ἔξω, id eſt, externam rationem, quæ vocatur ſermo. Ab vtraq; ergo ſignificatione videtur nomen logicæ ductum. Vnde vulgò diuiſio philoſophiæ ſermotionalis nata eſt, in Grammaticam, Rhetoricam, & Dialecticam: quia circa ſermonem verſantur. Grammatica quidem circa proprietatem ſermonis, Rhetorica circa ornatum, Dialectica circa tractationem, quæ inuentione & diſpoſitione perficitur. At ſi λόγος ſignificet argumentum, commune nomen erit Rhetoricæ & Dialecticæ: quoniam vtraq; docet rationem inueniendi & collocandi argumenta, iudicio veterum. Ariſtoteles quidem in Rhetoricis tradidit præcepta inueniendi, & diſponendi, & in Dialecticis: quanquam quo loco ſcribit rhetoricam conſtare ex Dialectica & Politica videtur apertè



Universidad de Deusto
Biblioteca



ſentire Rhetoricam accepiſſe præcepta inueniendi & diſponendi ex Dialectica: morum autem & perturbationum explicationem ex Politica, id eſt, ex philoſophia morali. nam totam philoſophiam moralem Politicam vocat. Cicero etiã in libris de oratore ſubijcit Rhetori præcepta inueniendi & diſponendi, quanquam in eo loco ſentẽtiam mutare videtur: quia ſimilitudine orthographiæ demõſtrat præcepta inueniendi & diſponendi generalia eſſe, neq; rebus tantũ forenſibus accõmodari, qualia ſunt tria genera cauſarum. Sed de his poſtea diſſeremus.

Cuius origo quærenda primùm eſt] Hoc loco triplex exiſtit quæſtio: prima de initijs, incrementis, & ſumma diſputationis: quæ opus eſt Dialecticæ artis. Secunda de initijs, incrementis, & ſumma Dialecticæ artis. Tertia de initijs, incremẽtis, et ſumma Dialecticæ facultatis. Duas priores quæſtiones diſputat Fabius capit. 2. libri tertij de eloquentia & Rhetorica arte. Tertiam ponit Plato de oratoria facultate in Phædro. et Cicero. 1. de oratore & . 2. Inter primam autẽ & ſecundam illud intereſt, quod inter eloquentiam & Rhetoricam pleriq; intereſſe volunt: quòd eloquẽtia poſita ſit in actione, Rhetorica verò præcepta cõplectatur: & quòd Philoponus intereſſe demonſtrauit initio Priorum inter demonſtrationem, & artem demonſtrandi. Quæritur igitur prima quæſtione, cùm diſputatio prior fuerit arte, quæ res diſputationi dederit initium, quæ incrementum, & quæ ſummam. Natura itaq; principium dedit diſputationi. Etenim om-

Universidad de Deusto
Biblioteca



ñes homines ante inuentam Dialecticam natura diſputarunt, muniti præſidijs naturæ, ingenio, & iudicio. Sunt enim in multis celeres quidam animi motus ad inueniendum prompti: & ad iudicandum de rebus. Studium dedit incrementum diſputationi, natum ex vtilitate & dignitate. Nam cùm homines animaduerterent magno in honore & precio eos haberi, qui benè de rebus diſputarent, cœperũt ſtudioſè diſſerere. Hoc ipſum & Plato demonſtrat. 7. de Republica, cùm ait Stereo metriam ſua ætate nondum in vſu fuiſſe: quia nulla erant præmia adhuc ei exercitationi propoſita, nec in honore habebatur: honos enim alit artes. Ars ſummam & perfectionem dedit diſputationi: nam is bene diſputat, qui ex arte diſputat. Siquidem hoc differt artifex ab Empirico, quòd artifex cum ratione facit, & certò, quia nouit cauſas rerum: Empiricus verò temerè & abſq; ratione, quia experientia ſola & obſeruatione rerum ſingularum contentus eſt. De hac autem diſsimilitudine artis & experientiæ lege Ariſtotelem primo Metaphyſico. Secunda quæſtio ponitur de initio, incrementis & ſumma artis. Ac principium quidẽ dedit arti natura, id eſt, naturalis vſus cuiuſq; artis, quo omnes homines vtũtur vel ſine arte, vt docet Ariſt. initio Rhetoricæ his verbis: Omnes enim participant quodammodo vtraq; arte, ſiquidem vſq; ad certum finem omnes homines conantur & interrogare, & argumenta tueri, & accuſare, & defendere, ac ex multis quidam temerè hæc faciunt, alij propter conſuetudinem callidius. Quoniam autem vtrunq; acci-

cidit



cidit poſſunt hæc ratione & via doceri: poteſt enim conſiderari cauſa propter quã vtriq; errant, tam qui propter conſuetudinem, quàm qui fortuitò id faciunt. Hoc autem artis eſſe munus omnes conſitentur. Eandẽ ſententiam iiſdem planè verbis repetit M. T. Cicero ſecũdo Oratorio libro. Ex quibus locis perſpicuũ eſt artem bene dicendi natam eſſe ex naturali vſu eorum, qui defendunt, & accuſant, aut temerè, aut propter conſuetudinem: & Dialecticam artem initium duxiſſe à naturali vſu eorum, qui propter conſuetudinem aut temerè reſpondent, aut interrogant. In hanc autem ſententiam puto accipienda eſſe illa vulgata axiomata: Omnis ars imitatur naturam, & omnis ars profecta eſt à natura, & nihil eſt in arte, quin prius fuerit in natura. Hoc vltimum accipiendum eſt in artibus Mechanicis, non idem planè fuiſſe in natura, quod in arte traditur, ſed imitationem quandam & ſimilitudinem: vt in natura non fuerunt ædes, ſed ſpeluncæ & arbores ramis intertextæ, quæ ſpeciem domus referrẽt. In ingenuis verò artibus, qui vſus planè fuit ante artem, idem poſt in arte retentus eſt: vt diſputatio quæ tam eſt Dialecticæ naturalis, quàm artificioſæ. Neq; verò locus ex. 2. phyſico ars imitatur naturam, intelligendus eſt de omni genere artium, ſed de ijs tantùm, quæ factionis propriæ ſunt, quod declarat exemplo medicinæ, & architecturæ. Nam quemadmodum hæ artes efficiunt opus externum, quod conſtat forma & materia, vt architectura domum, ſic natura, quæ vis procreandi eſt, facit opus externum ex materia et forma.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Porrò autem ars non imitatur eam naturam, quæ vocatur propenſio & procliuitas animi, ſub qua continentur omnes dotes ingenij & iudicij : ſine quibus nemo quidem perfectam facultatem artium conſequetur. Neq; vim procreandi. nam artium præcepta collecta primùm fuerunt, ex naturali vſu cuiuſq; artis, vt ſupra demonſtrauimus ex Ariſtotele, & Cicerone. Sed cùm triplex ſit ordo quo vnaquæq; res aut inuēta eſt, aut docetur: vnus reſolutionis, qui ex fine ad elementa artis regreditur: alter huic contrarius compoſitionis, qui ab elementis ad finem vſq; progreditur: tertius diuiſionis, quo docentur artes inuentæ per diffinitiones, diuiſiones, & exempla. Ordine reſolutionis ars non imitatur procreationem, ordine tamen compoſitionis vim procreandi ſequitur. Nam quemadmodum vis procreandi ex naturis ſimplicibus ad compoſitas progreditur, ſic ars cum ordine cōpoſitionis docetur, proficiſcitur ab elementis ad partes maiores vſque ad finem ſibi propoſitum. Ordine verò diuidendi ars in eo imitatur naturam, quòd à generalioribus initium ſumit. Nam vt demonſtrat Ariſtoteles. 2. de ortu animalium, fœtus omnis prius eſt, quàm viuat : & prius viuit, quàm ſit animal: & prius animal, quā homo ſit. Sic ordine diuiſionis traduntur primùm generaliora: deinde ſpecialiora. Illa tamen maxima eſt diſsimilitudo, quòd in procreatione ſi quid generalius eſt, idem imperfectius eſt: at verò in arte, quod prius docetur, id omnium perfectiſsimum eſt: vt diffinitio, quæ totā vim artis complectitur, perfectiſsima eſt, & ſingulæ





diffinitiones perfectiores ſunt diuiſionibus. Naturalis ergo vſus eſt, quem planè ſequitur ars, non tamen ſine admiratione: vt explicat Plato in Theæteto enarrans fabulam poëticam de Thaumante, & Iride, qua voluerunt ſignificare Poëtæ ex Thaumāte, id eſt, admiratione natam fuiſſe Irim, id eſt, cognitionem rerū. Quam ſententiam repetit Ariſtoteles primo Metaphyſico prætermiſſa fabula, & ſuppreſo, vt ſolet, nomine Platonis, per quem in omni philoſophia profecerat. Atq; hæc de origine artis. Arti incrementum dedit additio poſterorum. Sic docet Ariſtoteles extremo capite Elēchorum creuiſſe Rhetoricam, & . 1. Metaphyſico Muſicam, cùm poſteriores aut adderent inuentis priorum, quod difficile admodum non eſt, aut emendarent, quæ priores falsò tradidiſſent. Semper enim vt eſt in veteri prouerbio δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι. Quæ acceſsio facta fuerit Dialecticæ poſt Platonem & Ariſtotelem, & quæ fieri poſsit, eſt à nobis ſatis in oratione explicatum. Sūmam perfectionem dedit arti methodus in qua nihil deeſt, neq; redūdat: vt docet Ariſtoteles. 1. Rhetorico. Nam tum perfecta eſt quæque ars, cùm ratione et via docetur: hoc autem eſt ὁδοποιεῖν, vt eo loco loquitur Ariſtoteles. At de diſputationis et artis Dialecticæ progreſſu adhuc diſſeruimus, reſtat vt quibus præſidijs facultas Dialectica comparari poſsit, doceamus. Comparatur autem natura, arte, & exercitatione. Nam ſi quis obſeruet diligenter, & accuratè quomodo omnes homines, natura duce, diſputent, qui bene & qui male hæc

Universidad de Deusto
Biblioteca



faciūt,tum ad præcepta artis ſe conferat,quibus vſus errores naturæ emendet,deinde in his ſe exerceat ad artem confirmandam, is certè perfectam facultatem Dialecticæ conſequetur.

In qua perficiēda quatuor res obſeruādæ ſunt] Ariſtoteles primo Topico,ad explicandam Dialecticam, has quatuor res affert.primò finem & materiam, cùm ait initio primi capitis : Propoſitum nobis eſt hoc loco atq; tempore viam,ac rationem docere, qua poſſimus de omni propoſita quæſtione ex probabilibus diſputare,& quæ ſequuntur.Tum capite ſequēti docet officium Dialectici eſſe nihil prætermittere eorum, quæ valeant ad probabiliter diſſerendum.Tum cap.8. docet materiam ſubiectam eſſe omnem quæſtionem, ſiue ſit philoſophiæ contemplantis, ſiue agentis, ſiue Logicæ. Poſtremò capite decimo docet quatuor inſtrumenta futuro Dialectico neceſſaria : propoſitiones,diſtinctiones ambigui,ſimilitudines,& diſſimilitudines. Exēplo ergo Ariſtotelis de tota Logica hæc quatuor quærenda exiſtimamus.

Finis eſt id extremum] Prius de fine quàm de reliquis partibus agimus.quia ſequimur methodum reſolutionis,in qua à fine auſpicandū eſt. Finem artis diffiniui exemplo Ciceronis . Nam quemadmodum ille finem bonorum diffinit eſſe ad quem omnia bona referuntur,& ipſum aliò referri non poteſt,ſic nos finem artis eſſe dicimus, id extremum ad quod omnia præcepta artis referuntur, & ipſum aliò in arte non refertur . Addidi in arte,nam ornare, cùm finis Rhetoris

ris



ris ſit,tamē ad philoſophiam referri poteſt, quia Rhetorica eſt inſtrumētū philoſophiæ. Ex qua diffinitione duo colliguntur conſectaria:primum, de fine nullū eſſe præceptum , quod intelligendū eſt de fine totius artis, non ſingularum partium . Nam de demonſtratione,quæ finis eſt partis Analyticæ,præcipitur in Poſterioribus:at de vſu rationis,qui finis eſt totius artis, nihil præcipitur , ſed de præſidijs,per quæ cōparatur. Secundum conſectarium de fine nulla eſt conſultatio. quod ſcribit Ariſtoteles.3.cap.tertij Ethici.

Finis autem in nulla re magis apparet] Exiſtit hoc loco perobſcura quæſtio de fine totius Dialecticæ. Græci quidem interpretes finem faciunt demonſtrationem,ducti hoc argumento,quòd Ariſtoteles initio Priorum hunc finem conſtituat : quo loco non facit Ariſtoteles finē totius artis,ſed ſolius Analyticæ partis . Quam rem declarat epilogus Poſteriorum, cùm ſcribit ſe de demonſtratione & arte demonſtrādi iam diſputaſſe de quibus propoſuerat ſe diſputaturum eſſe initio Priorum . Afferunt etiam Græci Analyſim totius Logicæ,vt demonſtrationē finem eſſe confirment hoc ordine . Quia omnis perſuaſio philoſophica fit demonſtratione,demonſtratio autem ſyllogiſmus eſt, de ſyllogiſmo agendum fuit in Prioribus . Quoniam autem ſyllogiſmi tres ſunt ſpecies, demonſtrans, dialecticus,& ſophiſticus,de dialectico in Topicis,de ſophiſtico in Elenchis diſputatur . Cumq; ſyllogiſmus conſtet ex enuntiationibus , de enuntiatione in libro περὶ ἑρμηνείας agitur , cumq; demonſtratio conſtet ex ſimp

Universidad de Deusto
Biblioteca



ſimplicibus vocibus, de his in Categorijs agendũ eſt. In hac tamen Analyſi peccant vehemẽter Græci, quòd cùm demonſtrationem finem faciant, tamen Elenchorum librum extremum collocant. Incerta ergo ratio huius Analyſews. Iam verò cùm Ariſtoteles in Poſterioribus duo faciat inſtrumenta ſciẽdi, demonſtrationem, & diffinitionem, vtrunq; ab altero diſtinguit: Nam poſteà quàm ſecundo capite primi Poſteriorum docuit ſcire eſſe rem per cauſam noſſe, & quæ ſequũtur, quod fit demonſtratione, ſubiungit ſi quis alius modus ſciendi eſt poſtea dicemus: is autem eſt diffinitio, & in ſecundo Poſteriorum probat diffinitionem diuerſam eſſe à demonſtratione, quia diffinitione ſcimus quid eſt, quod demonſtrari nulla ratione poteſt. Ergo diffinitio non refertur ad demonſtrationem, cùm Ariſtoteles diſputet ſecundo Poſteriorum de diffinitione, non quia eſt medium demonſtrationis, ſed quia eſt alius modus ſciendi, vt verbis ipſius vtar. Præterea demonſtratio facit ſcire, ſyllogiſmus dialecticus opinari, ſophiſticus decipere: hi autem fines diuerſi ſunt: ergo non omnia præcepta artis Logicæ ad demonſtrationem referũtur. Accedit etiam his, quòd de demonſtratione præcipitur in Poſterioribus, & conſultamus vtendum'ne ſit demonſtratione in Ethicis, an in Mathematicis, & num apud viros doctos, an apud plebeios? Quare demonſtratio nõ eſt finis Dialecticæ. Multo minus argumentatio, cùm doceatur alterius cauſa in arte. Scribit ſiquidem Ariſtoteles primo Priorum ſe diſputare de ſyllogiſmo cauſa demonſtrationis.

Quid?



Quid? quòd de argumentatione in Prioribus præcipitur, & conſultamus vtendum'ne ſit argumentatione cum ijs, qui negant principia, neq; etiam diffinitioni conuenit, cùm diffinitione explicetur quid res ſit, ſyllogiſmo autem probari non poßit: vt Ariſtoteles confirmat. 2. Poſteriorum. Neq; finis Dialecticæ eſt, qui vulgò affertur, diſſerere pobabiliter, quia nec conuenit demonſtrationi, neq; diffinitioni, neq; ſyllogiſmo ſophiſtico. Nam etſi aliquando, quod neceſſarium eſt, ab Ariſtotele probabile nominetur, vt. 2. Priorũ Analyſews principium celeberrimum cõtradictionis in omni re propoſita neceſſe eſt alteram partem cõtradicentium verè dici, tamen probabile diuerſum planè eſt à neceſſario. Accidit ſiquidem principio contradictionis, vt probabile dicatur propter Protagoram & alios ſophiſtas, qui de eo principio dubitarunt, contra quos diſputat Ariſtoteles. 4. Metaphyſico. Aliquod autem neceſſarium eſt, de quo nulla eſt inter homines dubitatio, vt omne totum maius eſt ſua parte: hoc nulla ratione eſt probabile, vt ab Ariſtotele in Topicis diffinitur, niſi quis ſignificatione probabilis abutatur, vt probabile id eſſe dicat, quod hominibus probatur, & videtur, aut quod ad probãdum affertur: quæ duæ ſignificationes, vt in nullo autore leguntur, ita ſine ratione & autoritate à plebeis philoſophis inducuntur. Iam de probabili diſputatione præcepit Ariſtoteles in Topicis, & conſultamus apud quos, et quo tempore, quoq; loco argumento probabili vtendum ſit. Huius finis falſi occaſio arrepta eſt ex Topicis Ariſtotelis.

Universidad de Deusto
Biblioteca



lis.Nam cùm hũc finẽ faciat Topicæ partis Ariſtoteles,ad totã artem tranſlatus eſt:quaſi verò quod proprium eſt vnius partis,toti arti accõmodetur. Quidẽ finem faciũt Dialecticæ diſcernere verum à falſo, qui finis etiam falſus eſt,tum quia de hoc præcepit Ariſtoteles in Elenchis, cùm docet fallaciam non cauſæ vt cauſæ in qua ſeparat falſam cauſam à vera,nec conuenit toti arti.Nam diffinitione non ſeparamus verum à falſo, ſed argumentatione: & qui negat conſequentiã cuius antecedens,& conſequẽs vera ſunt,præſtat munus Dialectici,neq; tamen ſeparat verum à falſo.Præterea Ariſtoteles. 6. Ethico facit finem philoſophiæ contemplantis diſtinguere verum à falſo:artes autem diſtingũtur inter ſe finibus:ergo non eſt hic finis Dialecticæ.His itaq; confutatis finibus,verus finis inquirendus eſt.qui hac ratione inueſtigatur.Omnis ars inuenta eſt ad emẽdanda vitia naturæ , id eſt , eius vſus naturalis circa quem verſatur. Dialectica autem verſatur circa vſum naturalem rationis , & emẽdat illius vitia,nempe alienũ,obſcurum,ambiguum, falſum, & inconſequẽs.Ergo finis eius erit vti ratione,id eſt,docere methodum cognoſcendi , & quo modo ratione vtendum ſit.Id quod declarat Plato in Alcibiade primo,cùm docet idem eſſe diſſerere,& ratione vti.Diſſerere autem finis eſt Dialecticæ , ergo erit finis vti ratione . nam ad hunc referuntur omnia inſtrumenta Dialectica. Siquidem demonſtratio, & diffinitio ſunt modi ſciendi,vt loquitur Ariſtoteles . Hic autem finis non eſt vnus genere, ſed ab vno & ad vnam naturam.

Nam



Nam prius dicitur de inuẽtione, poſterius de diſpoſitione , quod ſatis eſt vt ſubiectum & finis eſſe dicatur: vt ens ſubiectum primæ philoſophiæ eſt , etſi ab vno & ad vnam naturam de decem categorijs effertur.Porrò autem nomen rationis quo vſus ſum in fine explicando varium eſt, & multiplex.Nam ratio dicitur quæ repugnat ſtultitiæ, qua ſignificatione dicimus prudentes vti ratione,ſtultos verò carere. Dicitur etiam ratio quoduis argumentum:vt ratio faciens fidem:& quæ repugnat experimento , qua ſignificatione dicimus omnia demonſtrari ratione,et ſenſu. ſenſu quidem per inductionem & exempla , ratione per reliqua argumenta.Item vocatur ratio,quæ repugnat autoritati.hinc illud elogium,Ratio præponderat autoritati. Nulla tamen harum ſignificationum ad hunc locum pertinet , ſed ea tantùm qua ratio vocatur modus cognoſcendæ alicuius rei.

Dialectico ſubiectæ ſunt res omnes] Hanc eſſe materiam Dialectico ſubiectam perſpicuum eſt ex ſingulis partibus Logicæ.Nam in libro περὶ ἑρμηνείας Ariſt. diſputans de modificatis enuntiationibus , vtitur his pronũtiatis,neceſſe eſt eſſe,cõtingit eſſe,poteſt eſſe, fieri non poteſt vt ſit,vt integrũ ſit cuiuis, quam velit materiam ſubijcere.In libris Priorum frequens illa elemẽtorum commemoratio apertè declarat omnes res ſubiectas eſſe Logicæ:nam pro literis licet cuiuſq; artis materiam ſumere.Inuentionem verò medij docet Ariſtoteles vtilem eſſe , non ſolùm ad philoſophiam, verùm etiam ad omnes artes, & ſcientias. Dialectica

autem,

Univerſidad de Deuſto Biblioteca



autem, quæ propriè in Topicis & Elenchis docetur, omni generi rerum & artium accõmodatur: vt Ariſtoteles demonſtrat. 2. & .8. ca. 1. Topi. & in multis alijs locis, quæ infinitum eſſet perſequi. Initio autem Rhetoricæ ſic cõparat Dialecticam cum Rhetorica, vt vtriq; res omnes ſubiectas eſſe pronuntiet. Et quarto Metaphyſico ita confert Dialecticum cum primo philoſopho & Sophiſta, vt circa res omnes eos verſari affirmet. Neq; verò ſi res omnes Dialectico ſubiectæ ſunt, continuò reliquæ artes ſuperuacaneæ ſunt: ſiquidem Dialectica res ipſas non ſuppeditat, ſed ſolã rerum tractationem. rerum autem cognitio ex ſingulis artibus eſt depromenda.

Cognito fine facilè diffinietur Dialectica] Nam differentia cuiuſq; artis ex fine petitur, vt ait Ariſtoteles. 1. Oeconomico. ex materia verò officijs, et inſtrumentis nõ poteſt colligi differentia artis. quia materia & inſtrumenta communia ſunt cum multis, vt res omnes ſunt materia ſubiecta Rhetori, Dialectico, Sophiſtæ, & Metaphyſico. Diffinitio autem & demonſtratio communia ſunt inſtrumenta Dialectici & Metaphyſici. Atqui differentia propria cuiuſq; artis eſſe debet. Officia etſi propria ſunt cuiuſq; artis, tamen quia non conueniunt toti arti, pro differentia vſurpari non poſſunt. Finis verò, quia ſoli & toti arti conuenit, vera eſt cuiuſq; artis differentia, per quam omnes artes inter ſe diſtinguntur. Atq; hæc de differentia: nunc genus Dialecticæ inquirendum eſt. de quo magna inter viros doctos diſceptatio eſt. Quidã





enim faciunt genus Dialecticæ facultatem, alij virtutem, alij artem, alij ſcientiam. A quibus quid verè, quid contrà dicatur, vidẽdum eſt. Plato quidem in Phædro Rhetoricam vocat facultatem, id eſt perfectam cognitionem, quæ comparatur natura, arte, & exercitatione. Quæ certè genus artis non eſt, ſed totum: quod his tribus partibus abſoluitur. Eadem ratione perfecta cognitio Dialecticæ facultas à Platone nominatur. Ariſtoteles verò. 1. Oratorio Dialecticã & Rhetoricã vocat δυνάμεις, id eſt, facultates, aut poteſtates, vt Fabius interpretatur libro primo. Sed nomẽ hoc facultatis ab Ariſtotele poſitũ variè ab interpretibus explicatur. Nam quidam volunt facultatem vocari, quia homines ἐν τῇ δυνάμει καὶ ἐξοχῇ, id eſt, in poteſtate & dignitate collocet, quos reliqui homines colãt & admirentur. quæ explicatio ambitioſi magis hominis eſt, quàm docti. Alij explicant facultatem vocari ab Ariſtotele ea ſignificatione, qua bona externa et fortunæ δυνάμεις, ſeu facultates nominantur: quia ijs & benè & malè vti licet. Ariſtoteles tamen apertè declarat primo Oratorio ſe facultatem nominare Dialecticam, propterea quòd in contrarias partes diſputat. Quam ſententiam confirmat Alexander primo Topico, & confirmare poteſt locus ex octauo Metaphyſico (ſi partitionem Græcorum ſequaris) in quo docet Ariſtoteles omnem poteſtatem participem rationis contrariorum eſſe: quales ſunt Dialectica, & Rhetorica. Hac itaq; ſignificatione facultatis poſita, facultas non eſt genus Dialecticæ: nam omne genus eſt cauſa

Universidad de Deusto
Biblioteca



cuiuſq; rei:facultas autem,id eſt,diſputare in contra-
rias partes,non eſt cauſa,ſed effectum Dialecticæ:er
go eius genus non erit. Præterea omne genus habet
veras ſpecies ſibi ſubiectas,in quas diuidatur:facultas
autem in hac ſignificatione ſoli Dialecticæ conuenit.
ergo non eſt genus.Nam etſi Ariſtoteles tribuit Rhe
toricæ vim diſputandi in contrarias partes,tamen idē
fatetur Rhetoricam hanc facultatem à Dialectica ac-
cepiſſe.Quod cùm ita ſit,Dialecticæ conueniet pri-
mò et per ſe facultas, Rhetoricæ autē propter aliud.
Vera autem ſpecies ea ſola eſt cui conuenit per ſe ge-
nus.Rhetoricæ non cōuenit per ſe facultas:quare hoc
genus Dialecticæ nulla planè ratione conſtituendum
eſt.Quod ſi quis requirat,quo loco Ariſtoteles affir-
met vim diſputandi accepiſſe Rhetoras à Dialecticis,
is legat primum oratorium, in quo hæc ſcribuntur:
Rhetorica ex altera parte reſpondet Dialecticæ. Et
alibi: Rhetorica eſt propago Dialecticæ. Et alibi
apertius: Rhetorica conſtat ex Dialectica & Poli-
tica. Nam cùm tria ſint inſtrumenta propoſita Orato
ri ad perſuadendū de ſentētia Ariſtotelis, argumēta,
mores,& perturbationes animi:mores quidem,& a-
nimi perturbationes, & omnem materiam rerum fo-
renſium, circa quas verſatur, ſumit Rhetor à ciuili
ſeu Politico philoſopho. Vnde verè ſcribit Cicero. 1.
de Inuentione Rhetorica pars quædam ciuilis ſcien-
tiæ eſt. At verò argumentorum ſedes & loca, quibus
vtitur ad diſputandum in contrarias partes, à Diale-
ctico mutuatur. Quam rem ſatis declarāt eadem no-





mina locorum in Topicis & Rhetoricis repetita.
Stoici virtutem faciunt genus Dialecticæ:quia affert
magnum præſidium ad beatam vitam: eaſdem enim ar
tes atq; virtutes eſſe putarunt. Ex quo Latinum no-
men artis factum eſſe creditur ἀπὸ τῆς ἀρετῆς, id eſt, à
virtute: quaſi ars cenſenda non ſit, quæ cum virtute
coniuncta non fuerit:multo minus philoſophia, quæ
omnium laudandorum artiū eſt quaſi parens & pro-
creatrix. Quam ob cauſam philoſophia in tres tātùm
partes à Stoicis diuiſa fuit. In vnam partem naturæ,al
teram de moribus, tertiam dialecticæ: quòd hæ ſolæ
partes aliquod afferant præſidium ad benè beatéque
viuendum. Siquidem philoſophia naturæ, cùm docet
mundum à Deo creatum eſſe, &, vt Stoici ſentiunt,
conflagratione ignis periturum,nos ad cultum & co
gnitionem Dei excitat. cū eadem docet mundum hūc
prouidētia diuina gubernari,nos in admirationē pro-
uidentiæ rapit. cùm eadem philoſophia tradit mun-
dum,& omnia quæ in eo ſunt, cauſa hominis condita
fuiſſe,nos ad timorem Dei et obſequium præſtandum
Deo inſtruit, & ad gratiarum actionem. cùm eadem
explicat omnia quæ nata ſunt interitura eſſe, nos ad
fortitudinem & contemptionem mortis informat.
Philoſophia quoq; moralis pars philoſophiæ eſt: quia
docet quæ bona, quæ mala, & quæ ἀδιάφορα, id eſt,
indifferentia: quæ expetenda,& quæ fugienda, quæ
vtilia,& quæ detrimentoſa. Dialectica verò et huius
germana Rhetorica, virtutes etiam ſunt, & partes
philoſophiæ:illa quia iudicio ſyllogiſmi, quæ vera,

Universidad de Deusto Biblioteca



quæ falſa, quæ bona, quæq; mala ſint, docet: quo præ-
iudicio munitus quiſq; mala et falſa fugiat, bona et ve-
ra perſequatur. Hæc quia in rebus dicendis & non di-
cendis tota ſibi conſentit, & accuſare & defendere
non poteſt niſi beneficio iuſtitiæ & iniuſtitiæ, neque
laudare niſi honeſta, nec vituperare niſi turpia, nec
ſuadere niſi vtilia, nec diſſuadere niſi inutilia, cumq;
frequenter inter tumultus plebeios fortitudinẽ exer-
ceat, atq; eius facultatis ſemina à natura nobis con-
ceſſa fuerint, efficitur profectò vt iudicio Stoicorum
Dialectica & Rhetorica virtutes eſſe credantur. Ho-
neſta ſanè oratio, & optanda magis, quàm vera. Nam
virtute nemo abutitur: Dialectica autem abutũtur ho-
mines ad refutandam veritatem: ergo Dialectica non
eſt virtus. Præterea virtus poſita eſt in voluntate, dia-
lectica autem non eſt poſita in voluntate (omnes ſi-
quidem eſſemus continuò dialectici) ergo Dialectica
non eſt virtus. niſi quis fortè virtutem interpretetur
perfectionem cuiuſq; rei, & præſertim partium ani-
mi. Nam hac ſignificatione erit Dialectica virtus,
quemadmodum reliquæ artes & ſcientiæ, vt docet
Ariſtotiles. 6. Ethico. quo loco facit quinque genera
habituum & virtutum, quibus ratio & intelligentia
noſtra perficitur: quæ ſunt ſapientia, intelligentia, ſci-
entia, ars, & prudentia. Virtus tamen propriè ea no-
minatur, quæ verſatur circa perturbationes animi tã-
quam materiam ſibi ſubiectam: vt fortitudo iram co-
hibet, & temperantia libidines ac cupiditates mode-
ratur. Qua quidem ſignificatione Dialectica virtus





non eſt, neq; vitium, ſed ἀδιάφορος, vt reliquæ artes.
Quæ perinde ſunt, vt ait Chremes Terentianus, vt
illius animus qui ea poßidet.

Qui vti ſcit, ei bona: illi qui non vtitur rectè, mala.
Quam ob rem Dialectica virtus non erit. Neq; etiam
ſcientia genus omnino Dialecticæ eſt. Nomen autem
ſcientiæ tria potißimum apud Ariſtotelem declarat.
Primùm omnem artem, quæ docetur aut methodo diſ-
finitionis, aut demonſtrationis: quales ſunt Mathema-
ticæ artes: quæ nomen ſcientiarum proprium apud
Ariſtoteleos ſibi fecerunt. Hæc ſignificatio repugnat
modo ſciendi, cuius meminit Ariſtoteles in minori Al-
pha Metaphyſico, cùm ait: Abſurdum eſt ſimul quæ-
rere ſcientiam, & modum ſciendi. Porrò modum ſci-
endi vocat Analyticam partem Logicæ, qua artes in-
uentæ ſunt, & intra ſuos terminos conſtituuntur. Si-
quidem in ea docet duos modos ſciẽdi, primo quidem
libro demonſtrationem, ſecundo verò diffinitionem:
quæ alius modus ſciendi eſt à demonſtratione, vt ſu-
prà explicatum eſt. Nam quum quatuor ſint, iudicio
Ariſtotelis, quæ in ſcientiam cadunt, quid eſt cogno-
ſcitur ſola diffinitione, reliqua tria demonſtratione,
& ſyllogiſmo cognoſcuntur. Latini Auerroëm ſecu-
ti, modum ſciendi de tota Logica arte interpretãtur,
ſed falsò. Nam quum Ariſtoteles extremo capite ſe-
cundi Metaphyſici (vt Latini partiũtur) doceat qui-
bus propoſitionibus, & argumentis in quaq; ſcientia
vtendum ſit, & quàm certis, de his autem non alibi
diſſeruerit, quàm in Poſterioribus Analyticis, in qui-

Universidad de Deusto
Biblioteca



bus docet, quæ propriæ cuiuſq; artis interrogationes,
& propoſitiones, & quæ alienæ ſint, & tradit rebus
perpetuis perpetuas conuenire propoſitiones, & re-
bus his quæ plerunq; ita fiunt, ſumptiones eiuſdem ge
neris accommodari, vt rebus naturalibus & ex mate-
ria conſtantibus ſumptiones naturales, efficitur proſe
ctò vt per modum ſciendi ſola pars Analytica intelli-
gatur: quæ docetur in Poſterioribus. Scientia ſecun-
dò ſignificat cognitionem communem arti & ſciẽtiæ:
quæ propriè ſcientia nominatur: vt cùm ſcribit Ari-
ſtoteles. 6. Metaphyſico, philoſophiam naturalem nõ
eſſe ſcientiam agentem, neq; efficientem. Quo loco ar
tes poſitas in factione ſcientias appellat communiori
vocabulo, vt annotat Alexander. Tertiò ſignificat
omnem cognitionem: quæ ſignificatio non ſolùm con-
uenit arti & ſcientiæ propriè vocatæ, verùm etiam
intelligentiæ, quæ cognitio eſt principiorum: vt quũ
ſcribit Ariſtoteles. 3. cap. primi Poſteriorum. Nos
autem dicimus nec omnem ſcientiam eſſe demonſtran-
tem, ſed eorum, quæ medio vacant indemonſtrabilem
eſſe, id eſt, ſcientiam eſſe principiorum, quæ non de-
monſtratur. Prima ſignificatione Logica non eſt ſcien
tia, vt Ariſtoteles ſcribit primo Rhetorico his ver-
bis: Qui aut Dialecticam, aut Rhetoricam nõ vt facul
tates, ſed vt ſcientias tractare conatur, imprudens na-
turam ipſarum tollit: quia in ſciẽtias rerum ſubiecta-
rum transfert, ſed non ſolùm rationum. Quo loco ne-
gat apertè Dialecticam et Rhetoricam ſcientias eſſe,
quia omnis ſciẽtia circa rem certam ſubiectam verſa-
tur:



tur: vt Ariſtoteles demonſtrat in Poſterioribus. Dia-
lectica autem & Rhetorica, imò tota Logica, circa
res omnes verſantur, non circa certum genus rerum:
vt Ariſtoteles in innumeris locis confirmat. Secunda
item ſignificatione non eſt ſcientia: quia artes cogni-
tionis, aut actionis, aut factionis, quæ hac ſignifica-
tione continentur, circa res verſantur: Logica autem
non circa res, vt Ariſtoteles ait loco ſuprà citato ex
primo Rhetorico, ſed circa rationes verſatur, niſi
quis fortè exiſtimat Dialecticam eſſe artem factionis,
de qua re poſteà diſputabimus. Tertia ſignificatione
Dialectica ſcientia eſt, ſi pro quauis cognitione acci-
piatur. Quòd ſi ea cognitio ad intelligentiam tantùm
principiorum referatur, & ad veram ſcientiam, quæ
ex principijs fit, non eſt ſcientia. Quòd ſi occurras, ha
bet principia per quæ demonſtrat ſuas concluſiones:
ergo erit in numero ſcientiarum collocanda. Reſpon-
deo nõ eſſe proprias demonſtrationes, quæ in Logica
fiunt. nam finis demonſtrationis veræ eſt ſcire: Demon
ſtrationes autem Logicæ non ſunt contentæ ſola cog-
nitione, ſed ad opus aliquod referuntur, vt ad confi-
ciendas demonſtrationes, & diffinitiones reliquarum
ſcientiarum: quamobrem Logica non eſt propriè ſciẽ
tia. Quam ſententiam confirmat Ariſtoteles primo
Ethico, cùm ait, hoc intereſſe inter Geometram, & fa
brum: quòd Geometra tantùm contentus ſit cognitio-
ne rectæ lineæ: faber autem cognitionem rectæ lineæ
ad vtilitatem & opus dirigat. Si igitur Geometria,
quia ſola cognitione contenta eſt, ſcientia eſt: ars ve-

Universidad de Deusto
Biblioteca



rò fabrorum non eſt ſcientia, quia omnem cognitionē ad aliquod opus refert, multo minus Logica ſcientia erit, cùm omnia ſua præcepta conferat ad cōficiēda inſtrumenta omnium ſcientiarum neq; demonſtrationes appellandæ erunt, quæ fiunt in Logica, cùm omnes ad opus aliquod referantur. Siquidem ſcientia, quæ vera demonſtratione comparatur, in ſola cognitione poſita cernitur: vt Ariſto. videtur ſignificare ſexto Ethico, cùm diſtinguit ſcientiam à prudentia, & arte. Eſt enim ſcientia cognitionis, prudentia verò actionis, & ars factionis. Verum igitur genus Dialecticæ erit ars. Neq; tamen nomen artis ſemper eadem ſignificatione ab Ariſtotele vſurpatur. nam artis nomen tria ſignificat. Primùm artes factionis, qua ſignificatione diffinitur ars ſexto Ethico, recta ratio earū rerum, quæ à nobis fiunt. Ea autem fieri à nobis dicuntur, quæ præter actionem aliquod opus oſtendant: vt Architectura domum facit. Secundò ars ſumitur ab Ariſtotele pro artibus actionis, & factionis: vt cùm ait ſecunda ſectione primi Priorum vtilem eſſe methodum inueniēdi medij, non ſolùm ad philoſophiam, verùm etiam ad diſciplinas, & artes. Tertiò vſurpatur pro quauis methodo. Prima ſignificatione videtur Dialectica ars eſſe: nam cùm ſint quinq; habitus animi intelligentis, Dialectica autē non ſit ſapientia, neq; intelligentia, neq; ſcientia, nec prudentia, relinquitur vt ſit ars. Præterea cùm ars ſit recta ratio earum rerū, quæ à nobis fiunt, Dialectica autem ſit recta ratio faciēdi ſyllogiſmos, & diffinitiones, & reliqua artiū





inſtrumenta, quæ poſt actionem in artibus cernuntur, efficitur profectò vt Dialectica ſit ars. Dialectica tamen hac ſignificatione ars eſſe non poteſt, propterea quòd factio propria eſt eius, qui lacertis & neruis corporis vtitur, & aliquod opus quod oculis cernatur poſt ſe ipſam relinquit: ad Dialecticam verò exercendam non eſt opus lacertis & neruis corporis, neq; eius factio talis eſt, vt aliquod opus relinquat ſemper, quod oculis ſubijciatur. Nā cùm rationis tota ſit eius actiones intra rationem conſumi poſſunt: vt qui ſecū taciti diſputant. Præterea omnis factio eſt certi generis rerum: actiones autem Dialecticæ communes ſunt rerum omnium: quare Dialectica non eſt ars factionis. Ad primum autem argumentum quod affertur cōtra hanc ſententiam, reſpondere poſſumus Logicam, etſi non ſit propriè ſcientia, quia eius demonſtrationes ad opus referuntur, ſcientiam tamen vocari, propterea quòd demoſtratione vtitur. Secundum argumentum cognita ſignificatione factionis diſſoluitur. Siquidem factio propriè vocatur, quæ ſemper relinquit aliquod opus externum: at dialectica plerunq; muta eſt, & ſecum ſola meditatur. Quam rationem vocat Ariſtoteles λόγον ἴσω, id eſt, rationem internam. Neq; verò Dialectica eſt actionis: nam, vt ait Ariſtoteles. 8. cap. primi Topici, quæſtiones aliæ ſunt cōtemplationis, aliæ actionis, aliæ neutrius generis, quales ſunt Logicæ: quare neq; ſecunda ſignificatio artis conuenit Dialecticæ. Tertia igitur ſignificatione Dialectica eſt ars: quod eſt verum illius genus. nam genus earum

Universidad de Deusto
Biblioteca



rerum, quæ carent corpore, ſumitur à cauſa efficienti: ars autem ſeu methodus procreauit Dialecticam.

Artem voco rationem, viam, methodum.] Methodus vox Græca eſt, quæ Latinè dicitur à Cicerone ratio, & via, aut ars, aut doctrina: vt initio Partitionũ cùm vocat methodum rhetoricam doctrinam dicendi. Ars autem ſic diffinitur à Stoicis: Ars eſt coaceruatio ex multis præceptis ad aliquẽ finem vtilem vitæ ſpectantibus. quam diffinitionem plebei philoſophi approbant, ac in ea multis modis peccant. Primò quòd diffinitionem Stoicam pro Peripatetica venditant. Secundò quòd diffinitionem Ariſtotelis ignorant, in cuius verba iurarunt. Tertiò quòd vſurpant coaceruationem pro conſenſione: nam cùm Græcè legatur σύϛημα, quæ vox conſenſionẽ ſignificat, quaſi omnia præcepta artis inter ſe conſentire debeant, ipſi coaceruationem conuerterunt. Quartò quòd præceptum pro perceptione poſuerunt, ignorata voce Stoica. A Stoicis enim vocatur perceptio, vera cuiuſq; rei opinio: quæ Græcè dicitur νόημα, aut κατάληψις, id eſt, perceptio, aut cõprehenſio. à qua multũ differt præceptũ. Siquidem præceptum & poteſt eſſe verum, & falſum: perceptio autem à Stoicis non dicitur niſi vera fuerit. Quintò in eo peccant quòd rem diffinitam & genus diffinitionis ſumunt ex diuerſis categorijs contra præceptum Ariſtotelis. 6. Topi. Siquidem ars eſt qualitas, coaceruatio autem eſt actio. Vltimò peccant in eo vehementer, quòd non expreſſerũt quid ars ſit, ſed qualia debeant eſſe præcepta artis: quod etſi arti

conuenit



conuenit, eius tamen vim & naturam non explicat, ſed qualitatem. Debent autem præcepta artium eſſe conſentiẽtia, vera, & vtilia: vt ex hac diffinitione colligitur. Etenim ex nomine conſenſionis colligimus præcepta artium conſentire debere, tam cum initijs, et prioribus præceptis, quàm cum fine & poſterioribus. ex nomine autem perceptionum intelligimus præcepta vera eſſe debere, et ex vltima parte diffinitionis, vtilia eſſe oportere. Quare ſi quæ præcepta artium huiuſmodi non fuerint, meritò ex arte detrahentur. De quibus vtile eſſet viros doctos iudicare, niſi libertatem philoſophandi multitudo maleuolorum oppreſſiſſet. Sed hæc aliâs: nunc veram diffinitionem artis ex Ariſtotele colligamus methodo Peripatetica. Ariſto. quidem ſecundo Phyſico ad explicandam diffinitionẽ naturæ, principio diſtinguit res naturales à non naturalibus. item. 2. de animo diffiniturus animum, res animatas ab inanimis ſeparat. Nam cùm diffinitio rem quanq; à cæteris diſtinguat, fit vt cognita diſſimilitudine rei, quæ diffinitur, & reliquarũ, quid res ſit quadam ex parte intelligatur. Sic nos diſtinguamus primũ res eas, quæ arte explicantur, ab ijs, quæ non explicantur arte. Res quidem vniuerſæ propriæ ſunt artis: ſingulæ verò res experientiæ, vt docet Ariſtoteles primo Metaphyſico, quare ars erit cognitio rerum vniuerſarum. Quoniam autem ex rebus vniuerſis quædã generaliores ſunt, aliæ ſpecialiores, ſequendus eſt is ordo, quem Ariſto. initio phyſicæ auſcultationis indicauit, & primo de partibus animalium, vt à generalio

ribus

Universidad de Deusto Biblioteca



ribus ad ſpecialiora progrediamur, ne ordine rerum
perturbato, eadẽ ſæpe repetere cogamur. Finis autem
propoſitus methodo eſt & arti, vt res omnes explicet
breuiter & perſpicuè. Quamobrem verè diffinietur
ars de ſententia Ariſtotelis, diſpoſitio à generaliori-
bus præceptis ad ſpecialiora deſcendens, per quã vna-
quæq; res facilius percipi, doceriq; poßit. Porrò arti-
um tria genera afferuntur ab Ariſtotele. 6. Metaphy
ſico artes cognitionis, actionis, & factionis: quæ diui
ſio repetitur à Quintiliano libro ſecundo. Artes co-
gnitionis appellantur, quarum præcepta ſola cogni-
tione contenta ſunt: vt Arithmetica, Geometria. Nam
etſi in Geometria quædam præcepta dicantur proble
mata, quæ actionem continent, vt data recta linea tri-
angulum æquilaterum conſtituere, tamen omnis hæc
actio ad cognitionem refertur: ad intelligendas nimi-
rùm proprietates figurarum, & corporum. Artes
actionis ſunt, quæ poſt actionẽ nullũ opus relinquũt,
vt ars ſaltandi. nam poſt ſaltationem nihil relinquit,
quod oculis cernatur: quæ proprio nomine πρᾶξις ab
Ariſtotele vocatur, differtq; à factione, quòd factio
aliquod opus poſt ſe relinquat, vt ſuprà explicaui-
mus. Quã dißimilitudinem expreßit Ariſtoteles mul-
tis in locis: vt primo Ethico, cùm ſcribit, finium alios
eſſe actiones tantùm, alios præter actionem habere
opus: & ſexto Ethico, cũ diſtinguit agere & facere:
& nono Metaphyſico, cùm ait facultatum alias eſſe
quarum finis eſt vſus, vt facultatis videndi aſpectus:
alias, quæ præter finem opus aliquod relinquunt, vt

Ar-



Architectura domum. His tribus generibus artium
addidit Galenus quartum poſſeßionis: quo res ipſas
non facimus, ſed conamur parare & poßidere. qualis
eſt ars venatorum, & piſcatorum, qui cùm piſces &
feras non faciãt, magno tamẽ ſtudio comparare conã-
tur. Dialectica primi generis artium eſt: quanquam
Ariſtoteles negat eſſe artem cognitionis. 8. cap. primi
Topici, cùm ſcribit quæſtiones alias eſſe contempla-
tionis, alias actionis, alias neutrius generis. Quo loco
exiſtit quæſtio, ſit'ne Logica pars philoſophiæ, an
inſtrumentum? Ad quam quæſtionem explicandam
Latini vtuntur hac diſtinctione. Dialectica docens
eſt ſciẽtia, & pars philoſophiæ: Dialectica verò vtẽs,
inſtrumentum. Si Dialectica docens eſt, vt illi expli-
cant, quæ tradit præcepta, non eſt ſcientia: vt teſta-
tur Ariſtoteles primo Oratorio, eo loco quem ſuprà
citauimus. ſit'ne autem vera diſtinctio, an falſa inqui-
rendum eſt. Aut Dialectica docens & vtens eſt idem
habitus, aut diuerſus: ſi eſt idem habitus, quia Diale-
ctica docens eſt, quæ tradit præcepta, & vtens, quæ
adhibetur ad aliquid probabiliter probandum, in ſin-
gulis artibus multa ſequentur abſurda. Primùm præ-
cepta Dialectica probabunt quæſtiones ſingularum
artium: vt ſit'ne mundus æternus diffinitione ſyllo-
giſmi? quod tamen fieri poſſe negat Ariſtoteles. 2. Po
ſteriorum, cùm ait: In ratiocinando non eſſe adhiben-
dam diffinitionem ratiocinationis. Prætereà proba-
tiones Logicæ nihil demonſtrant probabiliter, ſed
neceſſariò: demonſtrant autem ſolùm ſit'ne definitio

bene

Universidad de Deusto
Biblioteca



benè tradita, an malè, conueniat'ne demonſtratio cum
præceptis Logicis; quæ probationes ſunt neceſſariæ,
vel Latinorum iudicio. Quòd ſi diuerſus eſt habitus
Dialectica docens & vtens, quod Latini confiteri
coguntur, in maiora abſurda incurrent. Etenim cùm
affirment præcepta demonſtrationis ad Logicũ per-
tinere, vſum verò proprium eſſe philoſophorũ idem
de tota arte fateri coguntur, cum eiuſdem artis inſti-
tutio ſit, quæ in Poſterioribus & reliquis libris Lo-
gicæ traditur. Cùm autem diuerſus habitus ſit, Diale-
ctica docens erit, quæ cõtinet ſola præcepta: vt omnis
ſyllogiſmus conſtat propoſitione, aſſumptione, et cõ-
plexione, vtens verò, quæ continet exempla ſingu-
larum artium propria, quale eſt illud exemplum phi-
loſophiæ naturalis: quod per ſe mouetur, eſt immorta-
le: animus per ſe mouetur: ergo animus eſt immortalis.
Docentem appellant Græci interpretes auulſam à re-
bus, vtentem verò coniunctam cum rebus: quòd exem
pla coniuncta ſint cum rebus & materia cuiuſq; ar-
tis. Latini igitur in hoc peccant vehementer, quòd
Dialecticam docentem faciunt partem philoſophiæ,
vtentem verò inſtrumentum. Nam ſi omnis philoſo-
phia cum rebus & materia coniuncta eſt, Dialectica
autẽ docens à rebus & materia auulſa, certè non erit
pars philoſophiæ, ſed inſtrumentum. Quod hac ſimi-
litudine Græcorum interpretum facilius intelligetur.
Quemadmodum ſextarius, quo metimur vinum, quia
poteſt cohærere per ſe abſq; vino, non eſt pars vini,
ſed inſtrumentum metiendi: ita Dialecticum præcep-
tum



tum, quia poteſt doceri abſq; exemplis philoſophi-
cis, non erit pars philoſophiæ, ſed inſtrumentum. Et
quemadmodum ſextarius vini qui ponderatur, pars
eſt vini, non inſtrumentum: ſic exemplum philoſophi-
cum, quod dirigitur præceptis Dialecticis, pars eſt
philoſophiæ, non inſtrumentum: niſi velint Latini dif
finitiones & demonſtrationes philoſophiæ inſtrumẽ-
ta eſſe, quia explicant quæſtiones philoſophicas: vt
ſyllogiſmus à me ſuprà explicatus, quod per ſe moue-
tur, eſt immortale: animus per ſe mouetur: ergo ani-
mus eſt immortalis: inſtrumẽtum eſt quo explicat phi
loſophus hanc quæſtionem coniunctã, num ſit animus
immortalis? Atq; hæc certè ſignificatio inſtrumenti le
gitima eſt: nam cùm inſtrumenta quæſita ſint à ſingu-
lis artificibus ad materiam tractandam, materia autem
ſubiecta Dialectico ſit omnis quæſtio, ſiue ſit cogni-
tionis, vt ſit'ne mũdus æternus: ſiue actionis, vt ſit'ne
voluptas expetenda: ſiue Logica, vt ſit'ne diuiſio in-
ſtrumentum dialecticæ, hæ autem quæſtiones expli-
cantur non præceptis dialecticis, ſed exemplis & ſyl-
logiſmis ſpecialibus, efficitur profectò vt non præcep
tum dialecticæ, ſed ſyllogiſmus & exemplum ipſum
inſtrumentum ſit quod idem iudicandum eſt de diffini
tione. Nam ad explicandam hanc quæſtionem philoſo
phiæ naturalis, quid eſt homo? non afferuntur præcep
ta diffiniendi, ſed hæc diffinitio animal particeps ra-
tionis. Quare præcepta diffiniendi non ſunt inſtru-
menta, ſed ſingulæ diffinitiones. Quod ſi de diffini-
tione dubitetur, res ad Dialecticos referenda eſt. Re-
quirat

quirat aliquis, ſi dialectica præcepta non ſunt partes philoſophiæ, neq; inſtrumenta, quid igitur erunt? Reſpondeo Dialecticam eſſe regulam inſtrumentorum cuiuſq; artis, qua inſtructi conficimus demonſtrationes & diffinitiones: quæ propria ſunt cuiuſq; artis inſtrumenta. Quam ſententiam declarare videtur inſcriptio Logicæ Ariſtoteleæ ab Ariſtotele, aut quod probabilius eſt, ab aliquo Ariſtoteleo facta ὄργανον ὀργάνων ὡς χείρ, id eſt, inſtrumentum inſtrumentorũ & manus. Quaſi dicat, quemadmodum manus eſt inſtrumentum, quo conficiuntur omnia inſtrumenta opificũ, vt malleus, & dolabra, ſic Logica eſt inſtrumentum, quo conficimus propria cuiuſq; artis inſtrumenta: quæ ſunt diffinitiones, & demonſtrationes, ac vno verbo, quemadmodum manus nec eſt pars, neq; inſtrumentum earum rerum, quæ fiunt ab opifice, vt lecticæ, ſed inſtrumentum inſtrumentorum, ſic Logica non eſt pars, neq; inſtrumentum philoſophiæ, ſed regula inſtrumentorum. Sed vt quæſtio primo loco poſita melius intelligatur, afferenda eſt hoc loco altera artium partitio. Artium aliæ neceſſariæ, aliæ non neceſſariæ. Neceſſarias eas voco, ſine quibus oratio & diſputatio eſſe non poteſt: quales ſunt omnes artes, cùm de ijs diſputatur. Non neceſſarias appello, quæ voluptatis ſolius & ornatus cauſa in oratione adhibẽtur: qualis eſt Rhetorica, ſi ei ſola elocutio concedatur, quæ propria eſt illius pars. Ad componendam autem orationem quatuor ſunt genera artium neceſſaria. Primũ rerum, quod materiam ſuppeditat, de qua diſputetur:





quo genere continentur philoſophia, & omnes artes cùm de ijs diſſeritur. Secundum genus eſt earum artiũ, quæ verba ſuppeditant: quæ linguæ cuiuſq; propria ſunt. Neq; verò exiſtimãdum eſt linguam non differre à Grammatica, cùm alia vitia notentur linguæ, alia Grammaticæ: vt linguæ barbaram eſſe, Grammaticæ verò non obſeruatam eſſe veram rationem etymologiæ, & ſyntaxews. Tertiũ genus eſt earum artiũ, quæ docent tractationem rerum, de quibus inſtituta eſt diſputatio: cuius generis eſt noſtra dialectica, quæ docet præcepta inuentionis, & diſpoſitionis, quibus omnis quæſtio explicatur. Quartum genus eſt earum artium, quæ exponunt tractationem verborum: cuiuſmodi eſt Grammatica. Tertij itaq; generis Dialectica eſt. Atq; hæc de genere artis Dialecticæ. Quare vera eſt diffinitio Dialecticæ. Dialectica eſt ars diſſerẽdi, id eſt, tractandæ cuiuſuis rei ratione. Nam idem vtrũque valet. Ex vero autem genere, & vera differentia componitur: reliquæ verò diffinitiones, quæ aliquid habent commune cum finibus falſis, ſatis confutatæ ſunt reprehenſis finibus, quales illæ ſunt Dialectica, eſt ars diſſerẽdi probabiliter de quauis re propoſita, & Dialectica eſt ars diſcernendi verum à falſo. Illæ etiam, quæ vulgò afferri ſolent: Dialectica eſt ars inueniendi, & iudicandi: aut Dialectica eſt ars diffiniendi, diuidendi, & argumentandi, non ſunt diffinitiones, ſed diuiſiones. neq; admodum veræ ſunt. Quam ſententiam poſteà declarabimus, cùm ventum fuerit ad diſputationem de inſtrumentis, & diuiſione Dialectica.

Universidad de Deusto
Biblioteca



ctic æ.Atq; hæc de diffinitione Logicæ.
Et quoniã coniuncta eſt quæſtio officij,atq; finis.]
Methodus reſolutionis,quam in conſtituenda arte ſe-
quimur,hoc poſtulat, vt expoſito fine de officijs diſſe
ramus.Officium autem eſt opus extremũ, quod quiſq;
artiſex præſtare debet,ad finem ſibi propoſitum con
ſequendum.Ex qua diffinitione tria conſectaria colli-
guntur.Primum omne officium proprium eſt cuiuſq;
artis.Id autem propriũ cuiuſq; artis eſſe dicitur,quod
ad finem conſequendũ valet , aut certè ad melius, &
celerius conſequendum Ex hoc conſectario efficitur,
vt tradere rationem diffiniendi non ſit officium Lo-
gici:quia commune eſt cum Metaphyſico , ſi vera eſt
ſententia Alexandri.7.Topico . Secundum conſecta-
rium:officium vltimum eſt,ſed ante finem. Quare do
cere rationem argumentandi non eſt officium Logi-
ci,cùm referatur ad diſcernendum verum à falſo.Ter
tium : omne officium eſt poſitum in exercitatione:
quare præcepta artis non ſunt officia, cùm ſint poſita
in cognitione.His ita conſtitutis,Ariſt. primo Topico
officium facit Dialectici,nihil prætermittere eorum,
quæ valent ad diſſerendum probabiliter.quod offici-
um obſcurum eſt,cùm exprimatur negatione,neq; de-
claret,quæ ſint præſtanda à Dialectico.Præterea offi
cium hoc affertur ab Ariſtotele non tanquam officiũ
Logici,id eſt,generalis artificis,ſed ſolius Dialectici,
quèm in Topicis informandum ſuſcepit . Dices, quæ
præſtanda ſunt à Dialectico perſecutus eſt Ariſto.8.
Topico.Perſequitur eo quidem lib. Ariſtoteles, quæ
præ



præſtanda ſunt à ſolo artifice probabilium , qui omnẽ
ſuam facultatem exercet in interrogando, & reſpon
dendo.Cicero in Oratore ad Brutum,quæ ſint officia
Dialectici,declarat his verbis:Niſi eam præterea di-
dicisſet artem , quæ docet rem vniuerſam tribuere in
partes,latentem explicare diffiniendo,obſcura expla
nare interpretando,ambigua primùm videre , deinde
diſtinguere,poſtremò habere regulam , qua vera &
falſa iudicarentur , & quæ quibus propoſitis eſſent,
quæq; non eſſent conſequentia . In hac enumeratione
officiorum peccat primùm Cicero , quòd generalia
prætermittit officia,ſub quibus iſta continentur.Nam
diffinire,& diuidere comprehendũtur ſub confectio-
ne noui operis,vt poſt intelligetur . Prætermiſit etiã
reliqua ſpecialia officia, quæ diffinitioni & diuiſioni
ex altera parte reſpondent : qualia ſunt argumentari,
tractare locum communem, explicare τεχνολογίαν au
torum,& alia innumera.Reliqua officia,quæ à Cice-
rone numerantur,continentur ſub iudicio operis con-
fecti:qualia ſunt,diſtinguere ambigua,obſcura expla-
nare.falſa refutare,& inconſequentia tollere.In qui-
bus etiam prætermiſit Cicero vnum officium ſeparan
di aliena à proprijs:neq; mirum:erat enim profeßione
eloquentiæ Aſianus , & digreßionum ſtudioſißimus
ſectator,in quibus hoc vitium alieni ſpectatur.Diale-
ctici recentiores putant tria eſſe officia Logici con-
cedere,negare,& diſtinguere:quorum ſententia fal-
lax eſt.Primùm enim non eſt omnis vis Logicæ poſita
in concertatione , cuius propria ſunt illa tria officia:

Universidad de Deusto
Biblioteca



cũm poßit præclarè fungi ſuo munere, ſi ſecũ ipſe ali-
quid meditetur. Præterea qui reſpondet aut concedẽ-
do, aut negando, aut diſtinguendo, is iudicat de argu-
mento alterius. Quare iudicare de confecto opere cõ-
mune eſt officiũ his tribus, quod officium prætermiſ-
ſum eſt, ad quod referuntur reliqua, quæ ſumus ſuprà
perſecuti. Deinde qui diffinit, qui diuidit, qui argumẽ-
tatur, qui explicat locum communem, is præſtat mu-
nus Dialectici, cùm neq; concedat, neq; neget, neque
diſtingat. Iam verò ſi hæc tria officia reſpondentis
ſunt, cùm par quoq; ratio ſit interrogantis, oportebat
quoq; docere officia interrogantis, quemadmodum fa-
cit Ariſtoteles. 8. Topico. Quid? quòd neque omnia
officia reſpondentis perſequuntur, quæ Ariſtote. 8.
Topico complexus eſt. Confutatis alienis ſententijs,
reliquum eſt vt noſtram pronuntiemus, hinc ſumpto
initio. Quia omne officium poſitum eſt in exercita-
tione, quot ſunt exercitationes Logicæ, totidem erũt
officia Logici. Exercitationum autẽ Logicæ duo ſunt
genera: vnum conficere nouum opus, alterum de con-
fecto opere iudicare: ſub quibus omnia officia Diale-
ctici continentur. Hæc duo officia declarat Ariſtot. 1.
Priorum. Primùm diſputans de conficiendis ſyllogiſ-
mis, ſecundùm tertia ſectione primi Priorum diſputãs
de iudicio confecti ſyllogiſmi. Item Galenus hæc duo
officia tribuit Logicæ in libello de optimo genere do-
cẽdi his verbis: quoniã ex naturæ iudicio artes omnes
parãt ſibi inſtrumenta iudicandi ſecũdum artem, per
quæ alia quidem ipſi ſibi componunt, alia rurſus ab





alijs compoſita iudicant. Et ego docebo te in vniuer-
ſum inſtrumenta, & iudicia, tum ea per quæ tibi pa-
rabis veros ſermones, tum ea per quæ iudicabis ab
alijs dictos: ſic enim habebis totũ. Priori officio ſub-
iecta ſunt omnia opera rationis: qualia ſunt laudare,
vituperare, ſuadere, diſſuadere, & reliqua quæ falsò
ſibi rhetores aſſumpſerunt: & quæ propria dialecti-
corum eſſe ab omnibus conceduntur, diſputare in con
trarias partes, locos communes explicare, rationem
& viam, id eſt, methodum adhibere in rebus explicã-
dis, docere rationem explicandæ τεχνολογίας cuiuſq;
autoris, & alia ſexcenta, quæ à multis vulgò afferun-
tur magis ex opinione & iudicio vulgi nota, quàm
ex obſeruatione propria: quia pauci admodum hæc
exercuerunt, de quibus diſputabimus nos copiosè in
libro de varijs generibus exercitationum Dialectica-
rum. Poſteriori officio quinq; ſubiecta ſunt: quæ colli-
guntur hac methodo. Qui iudicat, ſeparat vitia à vir-
tutibus, ergo quot ſunt vitia rationis, tot erunt partes
iudicandi: vitia autem rationis quinq; ſunt: alienum,
obſcurum, ambiguum, falſum, & inconſequens. Nam
cùm omnis Dialectica verſetur in argumentis, argu-
mentatione, & methodo, hæc tantùm vitia in his cõ-
mitti poſſunt. Nam primò argumẽtum, quia inuentum
eſt ad quæſtionem explicandam, niſi intelligatur, non
poteſt quæſtio percipi: non intelligitur autem, aut cũ
planè non intelligitur, aut cùm aliter atq; accipiendũ
eſt. Illud vitium eſt obſcuri, hoc ambigui. Obſcurum
enim argumẽtum eſt, quod non intelligitur: vt ſi quis

Universidad de Deusto
Biblioteca



imperet ægroto ſumendam eſſe herbigradam, domi-
portam, terrigenam, ſanguinecaſſam, id eſt, cochleam.
Ambiguum quod intelligitur quidem, ſed aliter atq;
par eſt, vt ſi quis ita argumentetur: Dialectica eſt ars
probabilium: Analytica autem eſt pars Dialecticæ:
propoſitio eſt ambigua, ac proinde diſtinguēda. ſiqui-
dem Dialectica tertia ſignificatione eſt ars probabi-
lium, non quarta. Ex his duobus officijs efficitur, vt
in omni diſputatione dialectica primùm ambiguitas
vocis diſtinguatur, deinde, quid ea res ſit, diffinitio-
ne explicetur. Et quoniam argumentum, quæſitum eſt
non ſolùm ad explicandam quæſtionem, verùm etiam
ad probandam, non ſatis eſt illud intelligi, ſed ad pro-
bandum accommodatum eſſe oportet. Ad probandum
autem non eſt accommodatum, ſi ſit falſum, & incon-
ſequens, vt docet Galenus. 2. de decretis Hippocr. &
Plat. quare erunt hæc duo quoq; vitia: vnum argumē-
ti, falſum eſſe, alterum argumentationis, inconſequen
tem eſſe. Exemplum falſi tale eſt, ad quem omnia artis
præcepta referuntur, is eſt finis: ad demonſtrationem
autem referuntur omnia præcepta artis Logicæ: ergo
eſt finis illius. Aſſumptio eſt falſa, vt ex ſuperiori diſ-
putatione cōſtat. hoc autem vitium appellatur pecca-
tum materiæ. Alterum vitium eſt inconſequentis, cu-
ius tale eſt exemplum, homo eſt, ergo Socrates ſedet.
Cumq; nulla quæſtio explicari, nec probari poßit re-
bus alienis, exiſtit vltimum vitium alieni: vt ſi quis
probet in philoſophia naturali terræ ſtatum firmißi-
mum eſſe, quoniam habet formam cubi. nam argumen-





tum Stereometricum alienū eſt à quæſtione naturali
Ariſto. præcepit de his officijs: vt de ſeparando pro-
pria ab alienis nono cap. primi Poſteriorum, cùm do-
cet non omnem interrogationem Geometricam eſſe,
neq; omnem reſponſionem, neq; omnem diſputationē,
neq; omnem confutationem. Cumq; explicat quæſtio-
nem nō Geometricā eſſe, quæ alterius artis eſt, vt Mu
ſicæ. Hoc autem præceptū multis exemplis confirma
uit, vt cùm ait. 1. Phyſico diſputationem Parmenidis
& Melißi non eſſe propriam philoſophiæ naturalis,
ſed Metaphyſicæ: & 3. de cœlo diſputationē Pytha-
goræ & Platonis non eſſe phyſicam, ſed mathemati-
cam. De vitio obſcuri diſſeruit Ariſtoteles. 2. Prioris
Analyſεωs. 8. Top. & in Elenchis diſputans præſer-
tim de petitione principij, & 6. Topico diſputans de
obſcura diffinitione. hoc autem vitium notauit in He-
raclito. De diſtinctione ambigui egit Ariſtoteles co-
pioſè. 1. Topico, & in Elenchis: hoc autem officium
exercuit multis in locis, vt. 1. phyſico cùm diſputans
contra Parmenidem & Meliſſum, diſtinguit id quod
eſt. De vitio falſi tractat Ariſtoteles. 2. Prioris Ana-
lyſεωs, cùm explicat quo modo ex falſis verum ſequa
tur, & cùm docet quæ ratio falſa ſit, octauo etiam To
pico cùm exponit argumentationē falſam, & in Elen
chis diſputans de vitio non cauſæ, vt cauſæ. quod vitiū
plerunq; obſeruauit in reprehendendis veteribus phi
loſophis, cùm ait illorum rationes peccare in materia.
vitium inconſequentis expoſuit Ariſtoteles in Prio-
ribus, docens quæ argumentationes ſunt ἀσυλλόγιστοι,

Universidad de Deusto Biblioteca



id eſt, inutiles. & in Elenchis explicãs hoc ipſum vitium inconſequentis. hoc vitium multis exemplis illuſtrauit reprehendens philoſophos, quòd illorum argumentationes in forma peccarent. Quamobrem quinq; ſunt vitia rationis: alienum, obſcurum, ambiguum, falſum, & inconſequens. quæ hoc ordine collocantur, vt generaliora præcedant, & ſpecialiora ſequantur: vt vitia alieni & obſcuri, quia cõmunia ſunt argumentis, argumentationi, & methodo præcedunt cætera: vitium autem ambigui quia conuenit argumento, & argumentationi, tertium eſt: at vitium falſi quarto loco traditur, & inconſequentis vltimo loco, quia argumentum prius eſt argumẽtatione ordine naturæ & doctrinæ. Atq; hæc de officijs Dialecticæ.

Cumq; officia ſine præſidijs inſtrumentorum præſtari non poßint.] Inſtrumenta quæſita ſunt vt per ea actiones omnes exercerentur: vt manus inſtrumentum eſt dandi & accipiendi: ſic inſtrumentum Dialectici eſt id per quod exercet ſua officia, aut, vno verbo, per quod explicat quæſtiones. Quam inſtrumenti notionem veram eſſe præter communem omnium hominum conſenſum vel Peripatetici confirmant, cùm ex varijs generibus quæſtionum colligunt tria genera inſtrumentorum: vt poſteà dicemus. Diffinietur itaq; hoc modo inſtrumentum Dialectici: cauſa, per quam Dialectica docet explicare quamuis quæſtionẽ. Omne autem inſtrumentum duplex eſt: vnum generale, alterum ſpeciale. Generale eſt, per quod exercẽtur omnia officia: vt calor naturalis eſt inſtrumentum commune





ad omnes actiones animalis exercendas, vt Plato, & Ariſtoteles, & reliqui philoſophi ſenſerunt. Inſtrumentum ſpeciale eſt, quod vni tantum actioni conficiendæ deſtinatur: vt oculus inſtrumentum proprium eſt videndi, aut, vt verius loquar, neruus opticus. His ita conſtitutis, Ariſtoteles. 1. Topico cap. 9. quatuor facit inſtrumenta Dialectici, quibus inſtructus magnã ſibi comparet copiam ſyllogiſmorũ probabilium: ſunt autem hæc: propoſitio, diſtinctio ambigui, differentia & ſimilitudo. Quæ non ſunt inſtrumenta generalia totius Dialecticæ, ſed ſolius partis Topicæ: quã ſolam Ariſtote. Dialecticam nominat. neq; cùm ſint ſpecialia partis Topicæ, verè tradita ſunt, nam cùm in diuidendo vitiũ maximum ſit totum in parte numerare, inepta certè erit hæc diuiſio, cũ vel confeßione eiuſdem Ariſtotelis ſub propoſitione reliqua tria comprehendãtur. Iam verè diſtinctio ambigui exercitationis potius Dialecticæ eſt, qua docemur vitia à virtutibus ſeparare, quàm artis & præceptorũ, quibus ſolæ virtutes explicantur. Præterea quid eſt cur potius differentia & ſimilitudo inſtrumẽta Dialectici ſint, quàm reliqui loci inuentionis Dialecticæ? cùm ex omnibus argumenta ducantur. Rodolphus orationem vocat inſtrumentum Dialectici: quæ certè non eſt inſtrumentum, cùm ſit communis cum Grammatica, & Rhetorica. Quid? quòd dialecticus ſuo munere præclarè fungetur ſola animi cognitione. Inuenire ſiquidem & collocare argumenta rationis opera ſunt, non orationis. Peripatetici recentiores tria faciunt inſtrumenta

Universidad de Deusto
Biblioteca



Logicæ: Diffinitionem, diuiſionem, & argumentationem. Cuius ſententiæ occaſio ex eo nata fuiſſe videtur, quòd in tradenda quauis arte frequens fiat mẽtio diffinitionis, diuiſionis, & argumẽtationis. Confirmãt autem ſuam ſententiam argumẽto à diuiſione rei ſubiectæ, circa quam verſatur Dialectica: hoc modo. Omnis quæſtio aut eſt ſimplex, aut coniuncta: ſimplex eſt, qua quæritur tantùm de vna voce: vt ſit'ne homo? Coniuncta, qua quæritur de duabus vocibus, conueniat'ne vna alteri: vt ſit'ne homo animal? Quæſtio autem ſimplex aut obſcura eſt per ſe, aut propter ambiguitatem vocis. ſi per ſe, explicatur diffinitione: vt cũ obſcurum ſit quid ſit homo, explicatur hac diffinitione, animal compos rationis. ſi obſcura eſt propter ambiguitatem, explicatur diſtinctione: vt cùm diſputatur de cane, diſtinguendum eſt nomen illius in terrenum, marinum, cœleſtem, & morbum, quem hoc nomine Galenus appellat. Quæſtio autem coniuncta explicatur argumentatione: vt ſit'ne homo ſubſtantia? quia omne animal eſt ſubſtantia. quare tria tantùm ſunt inſtrumenta: diffinitio, diuiſio, & argumentatio. Occaſio huius argumẽti ex proprio loco diſputationis deſumpta eſt. nihil enim magis proprium inſtrumẽti eſt, quàm quæſtio, ad quam explicandam quæſitum eſt. Sumptiones tamen pleræ'que aſſumuntur falſæ, quarũ prima eſt: Omnis quæſtio ſimplex explicatur diffinitione ſola, ſi fuerit per ſe obſcura. omnis enim quæſtio ſimplex explicari poteſt omnibus locis dialecticis: vt cùm diſputamus de homine, docemus quæ cauſæ homi-

nis



nis ſint, quæ effecta, quæ ſubiecta, quæ adiuncta, quæ diſſentanea, quæ comparationes, quæ nomina, diuiſiones, diffinitiones, & teſtimonia. Quod ſi hanc quæſtionem ſimplicem non nomines, quæ tamen quæſtio verè ſimplex eſt, ſed quæſtiones an ſit, & quid ſit, quas vocat Ariſtoteles ſimplices. 2. Poſterio. Analyſeωs, falſa item erit ſententia. nam quæſtio an res ſit explicari poteſt demonſtratione, & ſyllogiſmo Dialectico: neq; ſolùm ex diffinitionis loco, verùm etiam ex omnibus locis inuentionis dialecticæ: vt à fine & cauſis efficientibus probari poteſt hominem eſſe, quia eſt animal à Deo procreatum propter beatitudinem. à forma & materia, quia habet animum participem rationis, & corpus. ab effectis, quia loquitur. à ſubiectis, quia eſt in tempore & loco. ab adiunctis, quia in eo inſunt virtutes, & vitia. à contradicentibus, vt ſi homo non eſt, non vtitur ratione: hoc autem abſurdum eſt: ergo homo eſt. à comparatione, ſi belua eſt, homo eſt. à nomine, quia ab humo dicitur. à diffinitione, quia eſt animal rationis compos. à diuiſione, quia conſtat corpore & animo. Quare falſa eſt prima ſumptio. Secunda ſumptio vera quidem eſt, ſed falsò colligit, quæ talis eſt: quæſtio obſcura propter ambiguitatem explicatur diſtinctione nominis ambigui: hæc vera ſumptio quidem eſt, ſed quod ſequitur non cohæret, nempe diuiſionem inſtrumentum eſſe Dialecticæ. argumentantur enim ab vna parte ad totum, quaſi ita dicant, ſi diſtinctio nominis, quæ diuiſio eſt, eſt inſtrumentum, omnis diuiſio inſtrumentum erit. In eo etiam

peccant

Universidad de Deusto
Biblioteca



peccant, quòd diſtinctionem nominis diuiſionem faciunt, cùm id incertum ſit, de quo nos poſteà diſputabimus. Tertia ſumptio eſt: quæſtio coniuncta explicatur argumentatione. Quæ ſi de ſola argumentatione intelligatur, falſa quidem eſt. nam explicatur etiam methodo. In argumẽtando autem varia methodus eſt: vna vt à communioribus ad ſpecialiores argumentationes progrediamur, quæ nota eſt, et vulgaris: altera, quam docet Galenus ſecundo de decretis Hippocratis & Platonis, vt vtamur primùm demoſtrationibus, deinde ſyllogiſmis Dialecticis, tum oratorijs, & ad extremum captioſis. Tertia in demonſtrationibus collocandis, primùm vti demonſtratione quæ ex communibus notionibus fit, deinde demonſtratione, quæ fit ex rebus antea demonſtratis: quem ordinem ſecutus eſt Euclides parens methodi demonſtrandi. Et in oratorijs argumentis collocandis methodus eſt, de qua multa diſputant rhetores. Quam ob rem quæſtio coniuncta non ſola argumentatione explicatur, ſed etiã methodo. Ex quo perſpicuum fit, falſò colligi tria inſtrumenta à Peripateticis ex diuiſione quæſtionis: præſertim cùm ex ea diuiſione duo tantùm inſtrumenta colligantur, nempe diffinitio, & argumentatio. Nam cùm quatuor ſint genera quæſtionum, vt docet Ariſtoteles, an ſit, quid ſit, ſit'ne hoc illud, & cur hoc illud ſit, cumq; quatuor problemata topica ad quæſtionem an hoc illud ſit referantur, quæſtio quid eſt ſola diffinitione explicatur, vt demonſtrat Ariſtoteles. 2. Poſterioris Analyſeωs, reliquæ omnes argumentatione tra-

ctantur:



ctantur: quæ ſi neceſſaria eſt, demonſtratio vocatur. quare ſi diuiſio quæſtionum ſequenda eſt, hæc duo tãtùm ſunt inſtrumenta. Quam ſententiam Ariſtoteles confirmat extremo capite. 1. Metaphyſici his verbis: Omnis diſciplina, aut fit per demonſtrationem, aut per diffinitiones. diuiſioni verò nullus cõceditur locus ab Ariſtotele ad quæſtiones tractandas. quod confirmat 29 cap. primi Prioris Analyſeωs, & 2. Poſterioris Analyſeωs diſputãs contra Platonem, cuius argumenta verá'ne, an falſa ſint in noſtris commentarijs explicabimus. Ariſtoteles certè nullum reliquit locum diuiſioni, niſi ad diffinitiones verũ inueſtigãdas, vt docet capite. 14. ſecundi Poſteriorum, aut ad demonſtrãdum, vt explicat. 16. cap. 2. Poſteriorum. Ex quo loco duo errores commiſi videntur à Peripateticis in hac diſputatione. Primus, quòd illi faciunt diuiſionem inſtrumentum cauſa diſtinctionis, Ariſtoteles verò cauſa diffinitionis, & demonſtrationis. ſecũdus quòd inſtrumenta generalia & ſpecialia confundunt: cum in eadem diuiſione, aut omnia generalia, aut ſpecialia inſtrumenta eſſe oporteret. atq; diffinitio inſtrumentum generale eſt de ſententia illorum, aut certè comparata cum diuiſione. diuiſio verò ſpeciale eſt inſtrumentum diffinitionis, & demonſtrationis. Quare nõ ſunt tria inſtrumenta Dialecticæ. Poſſent etiã Ariſtotelici ſuam ſententiam confirmare duobus locis: vno Ariſtotelis in præfatione de animo, altero Porphyrij. Locus. 1. de animo ſic habet: Cùm autem perſpicuum fuerit ſit'ne demonſtratio, aut diuiſio, aut alia metho-

dus,

Universidad de Deusto
Biblioteca



dus,et quæ ſequũtur. Quo loco aliam methodum diſ-
finitionem explicant interpretes. Ariſtoteles eo loco
non diſputat de inſtrumentis totius Dialecticæ,ſed ad
explicandam quæſtionem quid eſt , de qua re diſputãs
2. Poſteriorum demonſtrat non poſſe explicari quæ-
ſtionem quid eſt demonſtratione, neq; diuiſione, neq;
inductione,neq; diffinitione diffinitionis, neq; diffini
tione contrarij, quare per aliam methodum intelligit
reliqua præter demonſtrationem, & diuiſionem. Lo-
cus Porphyrij legitur in præfatione cùm ait quinque
voces vtiles eſſe ad diffiniendum,diuidendum,et de-
monſtrandum. Qui locus parum vrget, cùm Porphy-
rius Platonis ſit ſtudioſiſſimus,qui methodum diuidẽ-
di auulſam à reliquis docuit in Philebo, Sophiſta, &
Ciuili: quam Ariſtoteles multis argumentis labefacta
uit . Quamobrem fieri nulla planè ratione poteſt , vt
tria ſint Dialecticæ inſtrumenta. Refutatis alienis ſen
tentijs,noſtram pronuntiemus . Inſtrumentum Diale-
cticæ diffinitum eſt à nobis. cauſa per quam Dialecti-
cus ſuo fungitur munere,id'que poſuimus aut genera-
le, aut ſpeciale eſſe . Generale quidem quod ad omnia
officia , ſpeciale , quod ad ſingula præſtanda valeret.
quæ igitur generalia ſint inſtrumenta Dialecticæ nũc
quæramus. nam ſpecialia , ſi quæ fuerint, cuiuſq; offi-
cia, in reprehenſionibus fallacibus Ariſtotelis expli-
candis perſequemur. Demonſtratum à nobis ſuprà eſt
ſex eſſe officia dialecticorum : ea autem omnia præ-
ſtantur duabus tantùm rebus, inuentione nimirum &
diſpoſitione: quare hæc duo tantùm erunt inſtrumen-





ta generalia inuentio & diſpoſitio. Quod autẽ omnia
officia his duabus rebus præſtentur , exemplis intelli-
getur. Primùm conficimus nouum opus, vt laudẽ pau-
pertatis argumento à fine ſic collocato. qua re conſe-
quimur felicitatem,ea eſt laudanda: paupertate autem
conſequimur felicitatem: ergo paupertas eſt laudãda.
Secundò ſeparamus aliena à proprijs : vt inuentionem
& diſpoſitionem à rhetorica argumẽto ab adiunctis,
ita collocato. quæ partes propriæ ſunt Dialecticæ, nõ
conueniunt Rhetoricæ: inuentio autem & diſpoſitio
partes propriæ Dialecticæ ſunt: ergo non conueniunt
Rhetoricæ. Tertiò explicamus obſcura: vt diffinitio-
nem dialelecticæ inuento argumento ab etymologia,
& ita collocato. διαλέγεσθαι ſignificat rem quamuis ra-
tione explicare: Dialectica autem dicitur ἀπὸ τοῦ δια-
λέγεσθαι: ergo Dialectica eſt ars diſſerendi,id eſt expli-
candi res quaſuis ratione. Quartò diſtinguimus ambi-
gua: vt ſolem demonſtramus non eſſe calidũ , quanquã
calidus à Peripateticis vocetur , inuento argumento
ab effectis, & ita collocato . quod calidum dicitur ab
effectu id propriè calidum non eſt: ſol autem nomina-
tur calidus ab effectu : quare non eſt propriè calidus.
Quintò refutamus falſa: vt demonſtrationem finẽ eſſe
Logicæ, inuento argumento à diffinitione, & ita col-
locato. finis eſt id extremum ad quod omnia præcepta
artis referuntur: ad demonſtrationem autem non refe-
rũtur omnia præcepa Logicæ: ergo demonſtratio non
eſt finis Logicæ. Vltimò refellimus inconſequẽtia, in-
uẽto argumẽto à pari, & ita collocato. ſi nõ valet hoc

argu-

argumentū, Deus eſt: ergo leo eſt, neq; illud valebit deus eſt: ergo æquus eſt. Primū autē non valet, ergo neq; extremū. Quare duo ſunt inſtrumēta generalia totius logicæ, inuentio & diſpoſitio, etſi non ſemper vtroq; vtendū eſt. nam poſſumus cōficere locū cōmunem ex ſola inuentione, & explicare obſcura, & ambigua diſtinguere: vt ſi quis, exempli cauſa, virtutis explicet cauſas, effecta, ſubiecta, & adiuncta, & reliqua argumenta: de quo genere exercitationis diſputat Ariſtoteles. 29. cap. primi Prioris Analyſεως, cùm ait ex vnoquoq; rerum genere eligēdas eſſe propoſitiones: vt de bono, aut de ſcientia.

Quæ etiam partes ſunt.] Fieri quidem poteſt vt vna & eadem res appelletur nomine partis & inſtrumenti, diuerſa tamen comparatione: vt manus comparata cum corpore pars eſt corporis, inſtrumentum tamen dandi & accipiendi. Quo conſilio factum eſt, vt hoc loco de partibus dialecticæ diſputaremus. Partes dialecticæ, iudicio Ariſtotelis. 8. Topico ſunt tres: inuentio, diſpoſitio, elocutio. quæ non afferūtur ab Ariſtotele tanquam partes ipſius Logicæ, ſed ſolius Topicæ. elocutio autem non eſt pars totius Logicæ, neque Topicæ: nam poteſt Dialecticus præclarè fungi ſuo munere ſine elocutione: vt Logica Ariſtotelis in qua nulla ſunt ornamenta elocutionis. Præterea ea pars propria eſt cuiuſq; artis, qua primùm ſublata, tollitur ſubiectum artis: ſublata autem elocutione, non tollitur vſus rationis, quod ſubiectum eſt totius artis, nec diſputatio probabilis, quod ſubiectū eſt partis Topi-





cæ. Interpretes Græci tres faciunt partes logicæ: vnā στοιχειώδη, quæ continet elementa huius artis, nempe quinque voces, categorias, & librum de enuntiatione. alteram Topicam, quæ continet Topica, & Elenchos. tertiam Analyticam, quæ complectitur Priora, & Poſteriora. Prima quidem pars, quæ elementa tradit, ad alias duas referenda eſt. nam liber περὶ ἑρμηνείας traditur, vt doceamur conficere enūtiationes, ex quibus ſyllogiſmi conſtant: & vt poßimus iudicare quæ enuntiationes veræ, & quæ falſæ ſint, ex repugnantia, ἰσοδυναμίᾳ, & conſecutione enuntiationum: iudicium autem veritatis finis eſt partis Analyticæ. Quā obrem liber περὶ ἑρμηνείας non eſt pars diuerſa à parte Analytica. Categoriæ autem non ſunt partes logicæ. nam categoriarum vſus duobus tantùm locis legitur in Logica. 7. cap. 1. Topici, &. 14. ſecundi Poſteriorum: quorum vterq; docet tantùm materiam ſuppeditari ex categorijs: Logica autem non ſuppeditat materiam ad diſputandum: ergo non ſunt partes Logicæ. ſiquidē. 1. Topico docet Ariſtoteles categorias præbere materiam ad conficienda problemata Topica. In 2. autem Poſteriorum innuit categorias vtiles eſſe ad ſuppeditandum primum genus cuiuſq; rei diffiniēdæ: quem vſum idem Ariſtoteles exercet inquirens diffinitionem animi. quare categoriæ non ſunt partes Logicæ. Quæ ſententia copioſè à nobis expoſita eſt in commentarijs categoriarum. Alij interpretes Ariſto. faciunt quatuor partes Logicæ: vnam diffiniendi: alteram diuidendi, tertiam reſoluendi, quartā demonſtrā-

Universidad de Deusto
Biblioteca



di. In quo peccant vehementer: nam quod propriũ eſt
Poſterioris Analyſews, tribuunt toti arti. Primo nanq;
Poſteriorum docetur methodus demonſtrandi, ſecun
do methodus diffiniendi, reſolutio autem, quæ ſeruit
demonſtrationi, docetur. 9. cap. primi Poſteriorum. at
reſolutio, & diuiſio, quæ ſeruiunt diffinitioni, expli-
cantur. 14. cap. ſecundi Poſteriorum: vt in illis locis
diligenter eſt à nobis explicatum. Quamobrem hæc
diuiſio inepta eſt, tum quia non conuenit toti arti, tũ
etiam quia partes diuiſionis nõ ſunt pares. nam reſolu-
tio & diuiſio non ſunt methodi propter ſe ipſas quæ-
ſitæ, ſed propter demonſtrationem & diffinitionem.
Alij duas faciunt partes ipſius Logicæ: Analyticam,
& Topicam, iudicio Ariſtotelis: ita vt Analytica ne-
ceſſariorũ tãtũ ſit, Dialectica verò probabiliũ. Quæ
diuiſio, etſi ſentẽtiæ Ariſt. videtur cõuenire, inepta
tamẽ eſt: quia ſumitur ex materia. nã res per formã di
uidẽdæ ſunt, nõ per materiã. His ſententijs cõfutatis,
vera ſentẽtia pronũtiãda eſt: quæ apertè ex ſuperiori
diſputatione colligitur. Nã cùm inſtrumenta duo ſint
partes autẽ et inſtrumẽta ſint eadẽ, partes certè duæ
erũt. Præterea ſi Dialecticæ ſubiecta eſt ratio, ratio-
nis autẽ duo ſunt effecta inuenire & diſponere, certè
duæ erunt partes Dialecticæ inuentio & diſpoſitio.
Aſſumptionem cõfirmat cõmunis vſus ſentiendi. nam
vel agricola interrogatus de fertilitate anni ſequen-
tis, primùm ſecum cogitat cauſas fertilitatis, deinde
ordine reſpondet hoc modo: rari ſoles, crebri imbres
hoc anno fuerunt: nulla igitur expectanda fertilitas.





Hanc diuiſionẽ videtur expreſſiſſe Ariſtoteles. 8. To
pico. 1. cap. cùm tribuit Dialectico interroganti hæc
tria inuenire, diſponere, & eloqui. quæ etſi toti artĩ
eo loco non tribuuntur, tamen ad totam artem transfe
renda ſunt: præſertim duo priora. Eſt enim ſua demon
ſtratori inuentio, quã explicat Ariſ. à. 2. ca. primi Po
ſteriorum vſq; ad. 11. eſt & propria diſpoſitio, quã
docet. 11. cap. primi Poſteriorum. Pſeudographus
etiam, qui repugnat Demonſtratori, habet inuentio-
nem & diſpoſitionem, quas explicat Ariſto. 12. cap.
&. 13. primi Poſterio. Item Sophiſta, quem artificẽ
facit Ariſtot. contrarium Dialectico, habet ſuam in-
uentionem & diſpoſitionem: quæ docentur ab Ari-
ſto. in reprehenſionibus fallacibus. Quatuor igitur in
uentiones & diſpoſitiones diuerſæ ab Ariſtotele af-
feruntur: Demonſtratoris, Pſeudographi, Dialectici,
& Sophiſtæ: quæ ad generalem inuentionẽ & diſpo-
ſitionem reuocandæ ſunt. Nam communes ſunt loci
inuentionis omnium, differunt tamen vſu: quia de-
monſtrator vtitur ſolùm Diffinitione, cauſis, & effe-
ctis, & interdum cùm hæc deſunt, rebus adiunctis,
aut alijs locis. Dialecticus omnibus locis promiſcuè
vtitur, dum probabiliter de quæſtione poſita diſpu-
tet. Pſeudographus ijſdem locis vtitur, atq; demon-
ſtrator, ſed falsò acceptis. Sophiſta quoq; ijſdem atq;
Dialecticus vtitur, ſed falſis, aut ambiguis, aut alio
vitio deprauatis. Diſpoſitio etiam communis omnium
eſt: præterquam quòd Sophiſta illa abutitur aliquan-
do, cum affert rationes, quæ peccant in forma: ex hac

Universidad de Deusto
Biblioteca



diſputatione perſpicuum eſt vnam tantum eſſe debere generalem artem inueniendi, & diſponendi. Nam quemadmodum non eſt alia ars elocutionis Philoſophorum, alia Rhetorum, alia Poëtarum, cum ea variè vtantur, ſic neq; Logicam inuentionem & diſpoſitionem in quatuor partes diuidi oportebit, quòd quatuor artifices diuerſi ijs vtantur. Generalem igitur inuentionem & diſpoſitionem partes primas Logicæ eſſe conſtituamus: quæ propriæ Dialecticorum ſunt, non Rhetorum. Sublato enim vſu rationis, quem Dialectica inſtruit, auferuntur inuētio & diſpoſitio: ſublato verò ornatu, qui proprius eſt Rhetorum, non tolluntur inuentio & diſpoſitio: quare propriè partes ſunt Logicæ, non Rhetoricæ, ac proinde nō erunt neceſſaria tot præcepta inuentionis & diſpoſitionis Rhetorum, cum generalibus præceptis Logicæ contineantur. Dices: orator facit fidem aut argumentis, aut affectibus: rationem faciendæ fidei quæ argumentis fit, à Dialectico mutuatur, propriam tamen habet alteram, quæ fit affectibus. Reſpondeo affectus aut excitari argumentis, aut alia ratione. argumentis: vt Iuno primo ÆEneidos excandeſcit argumento à minori, Pallas potuit exurere claſſem Argiuûm ob furiā vnius Aiacis Oilei, at ego quæ ſum regina Diuûm, ſoror, & coniunx Iouis, non diſijciam ponto Troianos? Alia ratio excitandi affectus, aut nullius artis propria eſt, vt cum ſquallentes ſenes, aut infantes nudi, aut ſordidæ anus in forum producuntur ad flectēdos animos iudicum, aut certè non eſt Rhetoricæ, ſed





Philoſophiæ naturalis: quæ cauſas docet excitandi & comprimendi animi perturbationes. Porrò autem diſpoſitio partium orationis, quæ propria rhetorum eſſe videtur, ad Logicam diſpoſitionem transferenda eſt. Nam cùm quatuor ſint partes orationis, exordiū, narratio, confirmatio, & epilogus: exordium quidem & epilogus non ſunt partes neceſſariæ, ſed acceſsiones quedā & προσθήκαι vt ait Ariſtoteles. 1. Rhetoricō: quæ ſunt quæſitæ ad commouendos animos auditorū, neq; multum in benè morata republica admittuntur. Vnde in Areopago cautum erat ne quis proëmio aut epilogo vteretur. Narratio autē & confirmatio propriæ ſunt methodi Dialecticæ, in qua docemur explicandam primùm rem eſſe, & diffinitione aperiendā, deinde argumentis confirmādam. Obijciat aliquis: Nemo poteſt eloqui ſine inuentione & diſpoſitione, ergo ſunt partes propriæ Rhetoricæ. Non valet argumentum: nam iſto pacto nemo poteſt eloqui ſine proprietate ſermonis, ergo Grammatica erit pars Rhetoricæ: quod falſum eſt. Hoc argumento confuſæ ſunt & perturbatæ omnes artes. Nam vt quiſq; ſuam artem augeret & ornaret, reliquarum præcepta cum ſua arte coniunxit, quarum præſidio ad exequendum ſuum munus indigeret. Hinc celebrata literis catena illa aurea Homerica, quæ encyclopediam & concatenationem quandam omnium artium continet. de qua Plato in amatoribus, Cicero pro Archia poëta, & Vitruuius primo lib. ac alij pleriq; diſſeruerunt. Quæ artiū coniunctio approbanda eſt ſi vſum ſpectes, ſi præcep-

Universidad de Deusto Biblioteca



ta verò conſideres, eſt improbanda. nam ſunt ſingulæ artes ſuis finibus diſtinctæ. quemadmodum ad erigendam domum opus eſt coniuncta opera fabri, architecti, & latomi, cùm artifices diuerſi ſint. Quamobrem inuentio & diſpoſitio non ſunt partes rhetoricæ. Quorſum igitur rhetores de inuentione & diſpoſitione tam multa diſſeruerunt? quia quo tempore ceperunt primùm homines orare, nondum inuenta erat dialectica, ſine qua orare non poterant, neceſſe fuit de inuentione & diſpoſitione Dialectica in arte Rhetorica diſputare: quæ conſuetudo ad noſtra vſque tempora fluxit. ſed inutiliter: quum dialectica per ſe ipſam diſcatur. Requiret denuò aliquis, ſi inuentio & diſpoſitio propriæ ſunt dialecticæ, quæ igitur erit diſsimilitudo Rhetoricæ & Dialecticæ? Ariſtoteles ait Rhetoricam verſari circa eas res, quæ cadunt in conſultationem, dialecticam verò circa res omnes. Quæ ſententia ita accipienda eſt, vt rhetorica plerunq; verſetur, nõ ſemper, circa res, quæ cadunt in conſultationẽ, cùm res omnes illuſtrari poſsint elocutione oratoria. Alij rhetoricæ ſubijciũt hypotheſim tantùm, dialecticæ verò theſim. Quæ ſententia falſa eſt. tam enim quæſtiones finitæ, quàm infinitæ ab vtroq; artifice tractantur. Zeno Stoicus diſtinxit has artes ſimilitudine manus: voluit enim Dialecticam ſimilem eſſe manui cõpreſſæ, quòd breuibus argumentis & contortis vtatur, Rhetoricam verò manui dilatatæ, quia copioſius de rebus diſputat. Quæ diſsimilitudo inepta eſt ad artes diſtin-

guendas



guendas. nam plura, pauciora, maiora, minora non mutant naturã & formas rerum: vt ignis maior & minor eiuſdem generis eſt. Hanc diſsimilitudinem Zenonis Cicero falsò tribuit Ariſtoteli in Oratore ad Brutum, deceptus fortaſſe voce Græca ἀντίστροφος. nam ait Ariſtotelem hanc diſsimilitudinem ſcripſiſſe initio ſuæ Rhetoricæ. In tota autem Rhetorica non legitur talis locus de comparatione harum artium præter hunc, ἡ ῥητορικὴ ἀντίστροφός ἐστι τῇ διαλεκτικῇ, id eſt, Rhetorica par eſt & æqualis Dialecticæ. Vox Græca ἀντίστροφος ambigua eſt propter contrarias ſignificationes præpoſitionis ἀντί. nam aut ſignificat ſimilitudinem & æqualitatem: vt pollicem nominamus ἀντίχειρα, quia æqualis eſt viribus toti manui: aut ſignificat aliquid contrarium: vt anticatones, id eſt, declamationes contra Catonem. Ita Cicero ἀντίστροφον interpretatus eſt ex altera parte reſpondentem, quaſi Ariſtoteles eo loco contrariam eſſe Dialecticæ Rhetoricam putet. quod fieri non poteſt: cùm Ariſtoteles hanc ſententiam confirmet ſimilitudine vtriuſque artis. nam vtraque, inquit, de rebus omnibus diſputat. Quare præſtabilius eſt de ſententia Alexandri ἀντίστροφον interpretari ἰσόστροφον, id eſt, circa eadem verſantem, quaſi dicas, parem & æqualem. Vera diſsimilitudo Dialecticæ & Rhetoricæ eſt, quæ ex fine ſumitur. nam Logicæ finis eſt vti ratione, Rhetoricæ verò ornare orationẽ dicẽdo. Hunc autẽ eſſe finẽ Rhetoricæ hinc intelligetur.

 Cùm

Universidad de Deusto Biblioteca



Cum quinq; partes Rhetoricæ tribuantur ab oratoribus, ſola elocutio propria Rhetoricæ eſt, huius autem proprius eſt ornatus, ergo ornare finis eſt Rhetoricæ. Nam actio, quæ vltima pars affertur, non tam oratorum eſt, quàm hiſtrionum propria: & Orator ſuum nomen ſine hac tuebitur: vt Iſocrates, qui domeſticam aluit dicendi gloriam. memoria communis eſt omnium artium, ſi facultas eſt animi noſtri: quod ſi præcepta memoriæ ſignificet, ad Logicam referenda eſt, quæ diſputat de methodo præſertim diuiſionis, cuius beneficio, vt ait Galenus initio artis paruæ, res memoriæ commendantur. Inuentio autem tota & diſpoſitio Rhetorum ad Dialecticos referenda eſt. Nam quemadmodum vna ratio orthographiæ ad res quaſuis ſcribendas valet, ſic vna ratio communis eſt inueniendi & diſponendi, ſiue de virtutibus & vitijs diſputes, vt in laudando & vituperando, ſiue de vtilibus & inutilibus, in ſuadendo & diſſuadendo, ſiue de facto, vt in quæſtione coniecturæ, ſiue de nomine, vt in diffinitione, ſiue de iure et iniuſtitia, vt in quæſtione qualitatis, ſiue de rebus Dialecticis, ſiue de moralibus, ſiue de naturalibus, vno verbo, ad quaſvis res explicãdas iiſdem præſidijs inſtructa eſt Dialectica, ac multò copioſius quàm artes rhetorũ. Quæ ſententia confirmatur à nobis in libro illo de varijs generibus exercitationum Dialecticarum, propoſitis multis exemplis cuiuſq; generis oratorij. Deinde Marcus Tullius. 2. de Oratore confitetur has partes Logicæ eſſe, & initio Topicorum quo loco vtriuſq; partis





principem facit Ariſtotelem. Quamobrem mirari licet quorundam doctorum ſententiam, qui negant harum partiũ autorem fuiſſe Ariſtotelem. quod falſum eſſe ex ſuperiori diſputatione intelligitur. Sunt igitur inuentio & diſpoſitio propriæ partes Logicæ.

Inuentio eſt ratio argumenti inueniendi ad explicandam quæſtionem.] Exiſtit hoc loco quæſtio ſit'ne inuentio prior diſpoſitione ordine naturæ an doctrinæ an vtroq;? Prius ordine naturæ bifariam dicitur: primò in rebus, quæ ſimul non cohærent, id eſt prius, quod poteſt ſine altero eſſe: vt pater ordine naturæ antecedit filium. Secundò in his quæ ſimul tempore cohærent, cauſa eſt prior effectu: vt ſol eſt prior luce. Hoc ordine omnes Logici & Rhetores fatentur inuẽtionem priorem eſſe diſpoſitione. Nam cùm ſimul nõ cohæreant, poteſt inuentio eſſe ſine diſpoſitione: vt in loco communi, cum thema aliquod ſimplex per locos omnes ducimus: quod genus exercitationis eſt à nobis alias explicatum. Huius exercitationis exemplũ legitur. 1. Prioris Analyſeωs in inuentione medij, aut ſcriptum ab Ariſtotele, aut quod probabilius eſt ab aliquo Peripatetico additum. Ponit enim multa antecedentia, conſequentia, & repugnantia tam voluptatis, quàm boni ſine tractatione argumentorum. Prius ordine doctrinæ id dicitur, ſine quo poſterius intelligi non poteſt, ipſumq; poteſt percipi ſine poſteriori, vt in methodo demonſtrandi principia prius docẽtur, quia demonſtrationes non poſſunt ſine ijs percipi, & in demonſtrationibus ea ſemper præcedit, per quam

Universidad de Deusto
Biblioteca



ſequens demonſtratur. Ex quo ordine efficitur veriſſima illa ςοιχείωσις, id eſt, elementorum concatenatio. quia primum theorema fit elementum ſecundi, ſecundum tertij, atq; ita deinceps, dum ad vltimum veniatur. Hanc ςοιχείωσιν expreßit elegantißimè Euclides ſuo opere de Geometria & Arithmetica. In methodo quoq; diffiniẽdi ea prius diffiniuntur, ſine quibus posteriora percipi non poſſunt. quem ordinem ſequitur Cicero in Partitionibus. Inuẽtio itaq; prior eſt diſpoſitione ordine doctrinæ, quia poteſt doceri ſine diſpoſitione, & intelligi, id eſt, ſine præceptis ſyllogiſmi & methodi. Sic Ariſt. 1. Poſteriorum inuentionem demõſtrationis docet decem capitibus prioribus, explicans demonſtrationem progredi ex veris, primis ijs quæ carent medio, prioribus, notioribus, cauſisq; concluſionis, ex ijs quæ dicũtur per ſe, ex neceſſarijs, vniuerſis, perpetuis, proprijs cuiuſq; generis, ex cauſis & ex effectis. Vndecimo verò capite explicat in qua figura & modo demonſtrationes fiant. Sic in Topicis ſeptem libris diſſerit de inuentione, octauo de diſpoſitione. Sic in reprehenſionibus fallacibus prius docet locos captionum, deinde tractat diſpoſitionem. Sic in Rhetoricis ad Theodectem primùm tradit inuentionem, deinde diſpoſitionem, poſtremò elocutionem: quem ordinem ſequuti ſunt omnes oratores. Neque verò obijciendum illud eſt in Prioribus prius doceri diſpoſitionem, poſterius inuentionem, cùm eo libro ex profeſſo de diſpoſitione diſputet, obiter autẽ de inuẽtione. quod ſatis declarat, cũ reijcit omnẽ ferè diſputa-



tionẽ de inuentione medij ad Topica: vt cũ ait extremo capite. 29. ſimpliciter quemadmodũ ſumendæ ſunt propoſitiones ferè expoſuimus, accuratè autem perſecuti ſumus in libris de Dialectica. Requires: quid ſit, quod Ariſt. 1. ca. primi Topici de ſyllogiſmo diſputet, deinceps de inuẽtione, cũ inuẽtio docẽda ſit ante diſpoſitionem. Reſpondeo id feciſſe Ariſtotelẽ, quia Topica ſcripſerat ante Priora. poſtulat enim eo capite, quod in Prioribus & Poſterioribus et in Elenchis explicaturus eſt. Quare inuentio vtroq; ordine prior eſt diſpoſitione. Quidam cenſent diſpoſitionem anteponendam eſſe inuentioni ordine doctrinæ duobus argumentis. primò faciliora ſunt prius docenda: diſpoſitio autem eſt facilior inuentione: ergo diſpoſitio eſt prius docenda. Propoſitio non eſt omnino vera, ſed cũ ſine facilioribus poſteriora non poſſunt intelligi. Quid? quòd neq; diſpoſitio facilior eſt inuẽtione, cum ſit tanta varietas ſyllogiſmorũ & tam varia ſint præcepta methodi. Secundò inutilis inuentio eſt abſq; diſpoſitione: ergo diſpoſitio eſt prius tradẽda. Non valet hoc argumentũ. nam iſto pacto inutilis eſt etymologia ſine ſyntaxi: ergo syntaxis eſt prius docenda: & iſto pacto commutandus eſſet ordo omniũ præceptorũ cuiuſq; artis: vt in Mathematicis cũ inutilia ſint principia abſq; demõſtrationibus, demõſtrationes eſſent elemẽtis anteponẽdæ. Quoniã autẽ inuẽtio prior eſt diſpoſitione, de inuẽtione primũ agendũ eſt. Ac nomẽ quidẽ inuentionis cõmune eſt omniũ artiũ de ſentẽtia Platonis in Menone, vt Rhetorica eſt

inuentio

Universidad de Deusto
Biblioteca



inuẽtio troporũ & figurarũ, Arithmetica numerorũ,
qui lineas repræſentãt, planorũ, & ſolidorũ, & vno
verbo, omnis ars inuẽtio eſt earum rerũ quas tractat.
Sed logica fecit hoc nomẽ ſibi propriũ, quia maiori la
bore inueniũtur argumẽta ex locis, quàm reliquæ res
aliũde. nam cognitis formis ſyllogiſmorũ, facile confi
cies ſyllogiſmos: at verò cognita inuentione, nõ ſuppe
tent argumẽta. quæ ſuppeditantur aut ab ingenio, aut
ex longo rerũ vſu, aut ex artium cognitione. vt ſi diſ-
putandum ſit de rebus moralibus, ſumenda materia ar
gumentorum eſt ex philoſophia morali. Aliquando
proferuntur exempla ex ingenio, & præceptis inuen
tionis. Nam cùm intellexero cauſam diffinitam eſſe, cu
ius vi aliquid fit, quia video vi ignis calorem excita-
ri, noui ignem cauſam eſſe caloris. Inuentio ſolùm in-
dicat vnde ſumenda ſint argumenta: vt ad diſputandũ
de homine, quærendas eſſe cauſas, deinde effecta, tum
ſubiecta, & adiuncta, & quæ ſequuntur: materiam
autem non ſuppeditat. quare inuentio vacua eſt. Ex
quo efficitur, vt falſæ ſint ſimilitudines, quibus rheto-
res vtuntur cùm argumenta vocãt locos, venas auriſo
dinas. Nam in his omnibus aliquid latet incluſum, in
inuentione verò nihil: loci tamen nomen frequens eſt,
& vix mutari poteſt. Quare præſtabilior eſt ſimilitu
do qua vtitur meus ciuis Ioannes Lodoicus Viues, vir
acerrimi iudicij, cùm ait locos eſſe tanquam lemmata
narthesiorum apud pharmacopolas & vnguentarios,
quibus illi admonentur, quid in quoq; inſit nartheſio,
aut capſula, cùm ipſa lemmata nihil contineant. Expo

ſito



ſito nominne inuentionis, quid ea ſit aperiendum eſt.
Inuentio diffinitur à M. Tullio. 1. lib. de Inuentione,
excogitatio rerum verarum, aut veriſimiliũ, quæ cau
ſam probabilem reddunt. Quæ diffinitio non explicat
totam vim inuentionis. nam adhibetur plerunq; inuen
tio ad explicandum locum communem, vt ſuprà do-
cuimus, in quo nullius rei cauſa probabilis redditur.
Inuẽtio melius ita diffinietur, eſt ratio excogitandi ar
gumenti ad explicandam quæſtionem: non ad facien-
dam fidem, quia non ſolùm quæruntur argumenta ad
res probandas, verùm etiam ad res explicandas ſine
probatione.

Quæſtio eſt id, de quo agitur.] Ariſtoteles. 1. To-
pico quæſtionem Dialecticam appellat propoſitionẽ,
aut problema. Inter quæ duo illud intereſſe vult, quod
in propoſitione vna tantùm pars contradictionis ex-
primatur, vt num animal ſit genus hominis? In proble-
mate verò vtraq;, vt num animal ſit genus hominis, an
non? Quæ diſtinctio præterquam quòd inutilis eſt, à
nullo ferè ſcriptore Græco obſeruatur. Porrò autem
non diffinitur ab Ariſtotele eo loco omnis materia
ſubiecta Logico, ſed artifici tantùm probabiliũ, quem
Dialecticũ nominat. Negat enim. 8. cap. propoſitionẽ
eſſe Dialecticam, quæ omnibus perſpicua ſit, aut plu-
rimis: quia nullam habet dubitationem, qualis materia
ſubiecta eſt demonſtratori. Ex quo loco Ariſtotelis
perſpicuum efficitur, non omne neceſſarium probabi-
le eſſe. etenim omne probabile eſt materia ſubiecta
Dialectico, non omne autem neceſſarium Dialectico

ſubie

Universidad de Deusto Biblioteca



ſubiectũ eſt: vt id quod eſt omnibus perſpicuum, aut plurimis: ergo non omne neceſſarium eſt probabile, ſed id de quo tantum dubitant inter ſe aut ſapientes, aut plebeij, aut vtriq;, ita vt vtriq; parti ex æquo, aut vni magis, quàm alteri aſſentiantur. Quare diſputatio de quæſtione, quæ affertur ab Ariſtotele primo Topico, non pertinet ad hoc inſtitutum. Quæſtio à Boëtio diffinitur propoſitio dubitabilis, & à Rodolpho cum interrogatione elata oratio. Neutra diffinitio vera eſt: quia tam res certæ, quàm incertæ ſubiectæ ſunt logico: vt demonſtratori axiomata, quæ ex communi hominum conſenſu intelligũtur. Has autem diffinitiones Quintilianus ſatis confutaſſe videtur capite quinto, libri tertij, cum diſputat non omnem materiam ſubiectam oratori dubiam eſſe, ſed aliquando certam: vt laudationes, & vituperationes: quæ rerum certarum ſunt, niſi quis rem certam dubitabilem eſſe interpretetur, quia de ea dubitari & in contrarias partes diſputari poßit. Quæ interpretatio et ſi rebus oratorijs accommodari poteſt, Logicæ tamen toti non conuenit: vt communi loco, cum explicantur cauſæ, facta, & reliqua argumenta rei ſimplicis: vt rebus, quæ omnibus perſpicuæ, aut plurimis ſunt: quas negat Ariſtote. habere vllam dubitationem octauo capite primi Topici. Quare præſtabilius eſt definire quæſtionem id de quo agitur: vt omnis materia ſubiecta Logico tam certa, quàm incerta hac diffinitione aperiatur. Neque verò verbum agendi ſic interpretor, vt omnis quæſtio Lo-

gica



gica ad actiones, qui ſermo iuris prudentum eſt, referenda ſit. ſed vt agendi verbum idem valet, quod diſputandi, & explicandi: quaſi dicam, quæſtio eſt, id omne quod explicatur.

Id'que ſi vna voce explicetur, vocatur quæſtio ſimplex] Ariſtot. primo capite ſecundi libri Poſteriorum quatuor facit genera quæſtionum, an ſit, quid ſit, conueniat'ne vnum alteri, & cur conueniat. Quæ diuiſio vtilis eſt inſtituto Ariſtotelis, vt explicet ſolam quæſtionem quid eſt diffinitione tractari, cæteras demonſtratione. In Topicis quæſtionem bifariam diuidit: primò in quatuor problemata Dialectica, nempe in problema diffinitionis, vt ſit ne animal particeps rationis diffinitio hominis, an non? & generis: vt, ſit'ne animal genus hominis, an non? & proprij: vt, ſit'ne aptum ad riſum propriũ hominis, an non? & accidentis: vt, accidat'ne homini color, an non? Secundo diuidit quæſtionem capite octauo primi Topici in tria genera: vnum cognitionis: vt, ſit'ne mundus æternus? alterũ actionis: vt, ſit'ne voluptas expetenda? tertium Logicũ: vt, ſit ne enuntiatio genus affirmationis & negationis? Cicero & reliqui Oratores duo faciũt quæſtionũ genera: vnũ finitũ, alterũ infinitũ. Finitũ id eſſe dicunt, quod conſtat circunſtantijs perſonæ, rei, loci, aut temporis: vt, ſit'ne ducẽda vxor Socrati Athenis? id'que vocatur ὑπόθεσις, à Cicerone controuerſia & cauſa. Infinitum diffiniunt, quod caret circunſtantijs: vt, ſit ne ducenda vxor Philoſopho? idq; nominatur θέσις, à

Cice-

Universidad de Deusto Biblioteca



Cicerone propoſitum, aut conſultatio: quia cũ quæſtio ſpecialis controuerſa eſt, per hanc generalem de illa conſultamus. Multæ aliæ diuiſiones quæſtionum à Cicerone & alijs oratoribus afferuntur, ſed omnes inutiliter, quemadmodum & ſuperiores diuiſiones, cum omnia genera quæſtionum iiſdem præceptis inuentionis, diſpoſitionis & elocutionis explicari poſſint: vt eſt a nobis demonſtratum multis exemplis in libello de varijs generibus exercitationum Dialecticarum. Quod ita eſſe hoc argumento confirmari poteſt. Materia diuidenda eſt, cum diuerſa afferuntur inſtrumenta ad illam explicãdam. at verò cùm eadem ſunt, non eſt materia diuidenda: vt Arithmeticus non diuidit res, quæ numerari poſſunt, niſi quæ poſtulant diuerſam rationem addendi, & deducendi, vt Geometra non partitur materiam ſibi ſubiectam, cùm in omni genere rerum eadem metiendi ratio valeat. neq; Grammaticus diuidit res, cum in omnibus eandem rationem etymologiæ & ſyntaxeωs ſequatur. ſic neque Dialectico, neq; Rhetori diuidenda erat quæſtio, niſi quæ diuerſam rationem tractandi poſtularet. qualis eſt diuiſio, quæ à nobis affertur, in ſimplices quæſtiones & coniunctas: quia in ſimplicibus argumenta ducuntur ex vna tantum voce ſine comparatione alterius: vt hominis finem dicimus eſſe beatitudinem. In coniunctis verò quæſtionibus, aut ducuntur argumenta ex tota quæſtione, qualia ſunt aſſumpta, aut ſi ex vna tantùm parte ducantur, vis tamen argumenti in eo poſita eſſe cernitur, quod cum vtraq; parte quæſtion





ſtionis conferatur: vt in hac ratiocinatione, omne animal eſt natura: omnis autem homo eſt animal: ergo omnis homo eſt natura. argumentum animal eſt: quod etſi ſumitur à re ſubiecta, quia animal genus eſt hominis, tamen animal confertur cum natura tanquam ſpecies illi ſubiecta.

Ex quæſtione eruuntur argumẽta] De inuentione multi variè ſcripſerunt, neq; omnes in numerandis locis inter ſe conſenſerunt. Nam primus Ariſt. in methodo inueniendi medij, quàm tradit primo Prioris Analyſeωs tria facit genera argumentorum: antecedentia, conſequentia, & repugnantia. Quæ etſi verè dicuntur de omni argumento cõparato cum partibus quæſtionis, tamen inueniendis argumentis inutilia ſunt: quia ſunt admodum generalia, neq; per partes & ſpecies explicantur. In Topicis verò primo libro Ariſtoteles negat inueniri poſſe generalem rationem locorum, aut ſi poſſit inueniri, moleſtam futuram eſſe ſine ratione tamen: cùm vel eiuſdem teſtimonio laudãdi loci ſint, qui ſunt omnium diſputationum cõmunes & generales: vt ipſe Ariſto. commendat vehementer comparationes maiorum, minorum, parium, quia ſunt communes omnium diſputationum. Sed interim infinita genera locorum tradit in Topicis ſine ratione et ordine: vt. 1. libro ad eligendas propoſitiones octo locos, & explicandæ ambiguitati nominum accõmodat decem & nouem locos: libro ſecundo tractando problemati accidẽtis tribuit. 37. locos: libro verò. 3. ad explicandum problema generale rei magis expe-

Universidad de Deusto Biblioteca



tendæ affert.59.locos:ad omne autem problema comparationis ſeptem,& ad problemata ſpecialium comparationum.9.libro quarto explicat.73.locos ad tractandum problema generis.libr. quinto quatuordecim affert locos ad diſputandū de problemate proprij ſimpliciter,aut quodammodo,&.26. ad diſſerendum de problemate proprij ſimpliciter:libro.6. docet. 87.locos diffinitionis : libro.7. quindecim ad diſſerendū de eodem,&.5.ad confirmandā diffinitionem:qui omnes ſi in ſummam redigantur , ſunt tercenti quinquaginta nouem , vt nulla planè ratione memoria comprehendi poſſe videantur. In qua locorum enumeratione multa inſunt vitia:vt tropi poſiti pro locis , qualis eſt metaphora:vt ſophiſmata pro locis , qualis eſt ambiguitas nominis:vt quæ planè aliena ſunt à locis poſita pro locis,qualia ſunt idea:locus ab otioſo: vt obſeruationes multæ poſitæ pro locis , qualis eſt videre quæ vulgus ita appellet,aut quæ contrà : & in cauſa tenuiori digredi: vt formæ ſyllogiſmorum hypotheticorum.2. Topico pro locis poſitæ . de quibus omnibus iudicandum eſt à nobis in ſcholijs noſtris, quæ leguntur in margine Topicorum Ariſtotelis , & indicati loci ad quos omnes Ariſtotelici reuocantur.Primo autē rhetorico ad Theodectem ponit Ariſtoteles viginti octo genera locorum breuius,& vtilius præcipiens de inuentione , quàm in Topicis : in quibus tamen ſi quid peccatum eſt,ex aliorum confutatione, & comparata noſtra inuentione intelligetur.M. T. Cicero locos omnes Ariſt.cōtulit in ſexdecim,in quibus explicādis non



non tam rationem inuentionis, quàm methodi ſecutus fuiſſe videtur.Nā cùm in methodo doceamur rē quāq; primùm per ſeipſam conſiderare,tū ea videre,quæ rē ſequātur,aut illi repugnent, hunc ordinem ſecutus eſt Cicero. Priores nanq; tres locos facit diffinitionē,diuiſionem,& notationem , quibus , quæ vis & natura cuiuſq; rei ſit,intelligitur:reliquos vocat affectos ad rem,de qua agitur,præter teſtimonia, quæ extrinſecus aſſumuntur.Affectos autem vocat locos , qui ſpectantur non in re ipſa per ſe conſiderata,ſed relata ad ea,quæ ſibi conueniunt, aut repugnant:qua ſignificatione ſolet Cicero affecta ad rē aliquā nominare, quæ à philoſophis relata dicūtur. Ex locis affectis alios facit Cic.puros,alios hypotheticos.hypothetici nō ſunt loci,ſed formæ argumētandi : quæ cur numerentur ab Ariſt. & Cicerone in locis inuentionis à nobis explicabitur , cùm de ſyllogiſmis hypotheticis diſſeremus. Nouem facit locos puros:puros autem voco eos,quorum argumenta ſine conditione tractantur . In quibus neſcio quo conſilio genus & formā numerauerit: cùm ad vim & naturam rei explicandam pertineāt,cumq; diffinitionis & diuiſionis partes ſint . nam partes & totum quemadmodum eadem ſcientia explicādæ ſunt, ſic & eodem loco argumentorū comprehendēda erāt. Nam ſi qua vis eſt argumenti à genere aut à ſpecie, ea omnis ad diuiſionem referenda eſt: vt in hac ratiocinatione, omne animal ſentit:omnis homo eſt animal: ergo omnis homo ſentit,quæ ducitur ex genere,vis argumēti in eo poſita eſt,quod quicquid cōuenit generi,

M 2 idem

Universidad de Deusto Biblioteca



idem conueniat formis, in quas diuiditur, neceſſe ſit,
& in hac altera quæ à ſpecie ducitur, ſi homo eſt, ani
mal eſt, valet argumentū, quia omnis ſpecies, eſt pars
ſubiecta generi: vt ſi cui rei talis pars conueniat, ne-
ceſſe ſit eidem genus conuenire. Prætermiſit etiam
Cicero in locis puris locum à rebus ſubiectis: qui ne-
ceſſario explicandus erat. nam ex argumentis, quæ ad
alia referuntur, quædam appellantur eodem nomine,
alia diuerſis. eodem: vt comparata. diuerſis: vt, cauſæ
& effecta. Quæ eodem nomine appellantur, vnum lo
cum efficiunt: vt comparata: quæ diuerſis, duos locos
faciunt. vt apud eundem Ciceronem totum, & partes
genus, & forma: efficiens, et effectum: antecedentia,
& conſequentia. Quamobrem cùm adiuncta referan
tur ad res ſubiectas, diuerſisq́; nominibus appellētur,
conſtituendus erat locus à rebus ſubiectis, qui ex alte
ra parte reſpōderet loco ab adiunctis: præſertim cùm
in Ariſtotele, ex quo ſua Topica deſumpſit Cicero,
hic locus legatur: qualis eſt viceſimus & quartus li-
bri ſecundi, in quo docet Ariſtoteles confirmare, aut
refutare quæſtionem accidentis ex re ſubiecta: hoc
modo. Si in eadem re ſubiecta duo contraria acciden-
tia non poſsint ineſſe, neutrum erit accidens illius: vt
ſi in cupiditate dixerit quiſpiam ignorationē ineſſe,
quia ſcientia in eadem re ſubiecta non verſatur, fal-
ſum pronūtiabit. Nonus item locus libri tertij, & vn-
decimus à re ſubiecta ſumuntur, & quinquageſimus
quintus, & ſexageſimus primus libri quarti. Item de-
cimus ſextus, & vigeſimus tertius libri quinti, et tri-
geſimus



geſimus quartus, & quinquageſimus quartus libri
ſexti. quintus etiam, et decimus tertius ſeptimi. Quā-
obrem cum his omnibus locis Ariſtotelis, & exem-
plis eorum admoneri potuerit Cicero, cumq́; diuerſa
nomina relatorum diuerſis locis diſtinxerit, reprehē-
dendus cum ratione Cicero videtur, qui locum à re-
bus ſubiectis prætermiſerit. In oratore ad Quintum
fratrem & in Partitionibus recenſet tantùm nomina
locorum. Quintilianus lib. quinto inſtitutionum ex-
plicat inuentionem, ita tamen, vt locos oratorios cum
Dialecticis confundat. Nam locorum duo prima ge-
nera facit, vnum artificiale, alterū inartificiale: quæ
diuiſio accepta ex primo oratorio Ariſtotelis me-
ruit conſenſum omnium Rhetorum, & Dialecticorū.
Deinde artificiales locos diuidit in ſigna, argumen-
ta, & exempla: quæ ſola diuiſio apud illum certa eſt.
nam multas alias colligit artificialium probationum
diuiſiones capite. 8. libri quinti, incertus, vt credo,
quam ſequatur. quales ſunt: probationes aut eſſe in
rebus, aut in perſonis: aut ex antecedentibus, aut ex
conſequentibus, aut ex pugnantibus conſtare: aut ex
præterito, aut ex coniuncto, aut ex ſequenti tempore
peti: & aut ex re maiori, aut ex pari, aut ex minori:
& in quæſtione verſari finita, aut infinita: & argu-
menta aut eſſe neceſſaria, aut credibilia, aut non repu
gnantia: & probationum quadruplicem eſſe rationē:
vt vel poſito antecedente, conſequens tollatur, vel
poſito antecedente, ponatur conſequens, vel ſublato
antecedente, conſequens ponatur, vel ſublato antece-

 dente,

Universidad de Deusto Biblioteca



dente, conſequens tollatur. Quarum diuiſionum nulla certũ aliquid indicat, quod ſequamur ad inueniendũ. Nam in his omnibus eadem inuentionis ratio valet: vt in rebus, & perſonis. Quod autem ſigna & exempla ab argumentis ſeparat ſine ratione facit. nã ſigna ſub adiunctorum loco continẽtur, quem ille conſequentiũ locũ nominat. exempla verò, vt idem docet, aut ducũtur ex cõparatione, aut ex cõtrarijs, aut ex autoritate: qui loci argumentorũ ſunt. quare non erant exempla ab argumentis ſeparãda. Argumentorũ, quæ ipſe hoc nomine propriè appellat, affert viginti quatuor genera: in quibus magna eſt perturbatio. ſunt enim quædã, quæ non ſunt propria argumenta, ſed ſpargũtur reliquis locis: qualia ſunt initium, incrementũ, et ſumma cuiuſq; rei. alia ſunt quæ inter ſe non erant diſtinguẽda: vt arguméta perſonarũ, loci, & tẽporis, et modi, & proprij, quæ omnia cõtinentur ſub conſequẽtibus, vt ille vocat, id eſt, ſub adiunctis. ſic etiã locus à facultatibus, & ab efficientibus ſub loco cauſarũ cõprehenduntur. Præter hos autem omnes locos addit locum vnũ à fictione cõmunem omnium argumentorum: quem neſcio an ipſe finxerit, quanquã ex Græcis ſe illud accepiſſe teſtatur. Quare Quintiliano in inuentione parũ, aut nihil tribuendũ eſt: præſertim cùm ſuã negligentiã confiteatur initio capitis duodecimi libri quinti cum ait. Hæc ferè de probatione, vel ab alijs tradita vel vſu percepta, in hoc tempus ſciebã. nec mihi fiducia eſt, vt ea ſola eſſe contendam, quinimo hortor ad quærendum, & inuenire poſſe fateor.





Themiſtius multa in inuẽtione miſcet, plura Boëtius ex Themiſtio & Cicerone: quæ perſequi infinitum eſſet: præſertim cũ aliorũ ſententijs confutatis, horũ ſentẽtiæ facilè refutari poſsint. Rodolphus, vir memoria patrum noſtrorũ peritiſsimus, inuentionem accuratius explicauit, quàm veteres omnes, initio ſumpto ex cõparatione argumenti cũ partibus quæſtionis. cõparat autẽ res ipſas inter ſe, vt cohærent in rerũ natura. Sed dũ facit viginti quatuor genera argumentorũ, ex vno loco plerũq; multos facit: vt ex vno loco adiũctorũ, facit ſex locos, proprij, adiacẽtiũ, loci, tẽporis, cõnexorũ & cõtingẽtiũ: & ex vno loco diuiſionis, facit itẽ quatuor, generis, ſpeciei, totius, & partiũ: et ex vno loco nõis, facit duo cõiugata, & nomẽ rei: & ex vno loco effectorũ, facit duo actus, effecta: & ex vno loco cõparationũ, cõparata, et ſimilia: & ex vno loco diſsẽtaneorũ, oppoſita, & differẽtia: Adhuc incõſtantẽ et variã rationẽ inuentionis multorũ docui, reſtat vt certã et cõſtãtẽ proferã. quæ nõ ex quatuor generibus tãtũ problematũ paratur, vt inuẽtio Ariſt. neq; ex methodo, vt inuẽtio Cice. neq; ex confuſione Dialecticæ & Rhetoricæ, vt inuẽtio Quint. neq; ex ſoliditate & eminẽtia rerũ, vt inuẽtio Rodolphi, ſed ex q̃ſtione ſubiecta, circa quam argumẽta verſantur. Quæ cõſtat decẽ generibus argumẽtorũ, ea methodo collectis, q̃ in libello de cõſtitutiõe artis expreſſa eſt. Huius inuẽtionis autor ẽ Petrus Ramus Veromãduus, vir natus ad docẽdas omnes artes breui et vtiliter, cuius præcepta et rationẽ explicãdi autores vehemẽter

Universidad de Deusto Biblioteca



laudo & approbo: animaduerſiones autem, & quæſtiones Brutinas, & diſquiſitiones in Quintilianum in multis ſequor. Quòd ſua inuenta non confirmarit, aliena tantùm refutaſſe contentus, non multum probo: quòd multa ex Ariſtotele accepta diſsimulet, & quòd methodum demonſtrandi vtiliſsimam ſeparatim non explicet, vehementer reprehēdo. quòd rationem colligendi ſyllogiſmos ex autoribus, quam docet Ariſtoteles in Prioribus, naturæ totam et ingenio concedat, improbo: quòd vſum præceptorum Ariſtotelis ignoret, aut certè diſsimulet, non curantiæ, aut odio Ariſtotelis tribuendum puto. Quamobrem etſi primus in ſchola Valentina me Rami ſectatorem profeſſus ſum, non ita accipiendum eſſe illud puto, vt integrum mihi non eſſet à ſententia illius diſcedere, cùm locus & tempus postularent. nullius enim addictus iurabo in verba magiſtri, neq; patiar veritati, quæ vna in omni tempore & loco dominatur, hominum autoritatem præponderare. Sed hæc aliâs.

Omnia argumenta aut ſumuntur ex partibus quæſtionis.] Argumenta inſita àliter diffiniuntur ab Ariſtotele. 1. Oratorio, et ab oratoribus. Inſita nanq; diffiniunt, quæ ab oratore pariuntur, neque à litigatore deferuntur ad patronum. Quæ diffinitio falſa eſt: quia cliens non ſolùm narrat patrono, qui fuerint teſtes, ſed etiam quæ cauſa occidendi hominis, quæ loci, & temporis opportunitas: quæ in locis inſitis numerantur. Aſſumpta argumenta diffiniunt Oratores, quæ non inueniuntur ab oratore, ſed delata à cliente ab

illo



illo tractantur. Quæ diffinitio falſa quoq; eſt. nam teſtimonia philoſophorū, poëtarum, & oratorum non deferet plebeius homo literarum rudiſsimus. Quare verius diffinientur inſita argumenta, quæ ſumuntur ex partibus quæſtionis: vt in hoc ſyllogiſmo, omnis inſidiator iurè occiditur: Clodius autem erat inſidiator: ergo iurè cæſus eſt, argumētum ſumitur à re ſubiecta: nam inſidiæ inſunt in Clodio. Aſſumpta verò dicuntur, quæ ſunt petita ex enuntiatione totius quæſtionis: vt quatuor ſunt elementa, quia Hippocrates ita ſentit. Senſiſſe ita Hippocratem eſt enuntiatio totius quæſtionis. Ariſtoteles, quem ſequuti ſunt rhetores omnes, inſita argumenta vocat τεχνικὰ, id eſt, artificialia, vt vertit Quintilianus: quia inueniuntur arte. aſſumpta verò ἄτεχνα, quia etſi tractantur arte, quod vtriq; generi commune eſt, non inueniuntur tamen ab oratore, ſed ad illum deferuntur: quæ ſententia ſatis ſuprà confutata eſt. Porrò autem hæc diuiſio argumentorum in inſita & aſſumpta non eſt diuiſio vera generis in formas. nam verum genus eſt cauſa formarum, & veræ ſpecies ſunt effecta generū: quæſtio autem, ex qua argumentorum diuiſio deſumpta eſt, non eſt cauſa argumēti, ſed res ſubiecta, circa quā argumenta verſantur. quare diuiſio hæc ducitur ex rebus ſubiectis. ex quo fit, vt negentur à Ramo adhuc inuenta eſſe vera genera argumentorum ſumma, & inter media. Porrò autem analyſis vtiliſsima eſt ad cognoſcendum certò cuiuſque generis argumentorum quodq; ſit, cognitis præſertim diffinitionibus cuiuſq;

 generis;

Universidad de Deusto
Biblioteca



generis : vt in hac ratiocinatione, omne laudabile eſt
expetendũ, omnis autẽ virtus eſt laudabilis, ergo om-
nis virtus eſt expetenda, principio diſtinguendæ ſunt
ſeparatim partes quæſtionis: vt virtus eſt pars ſubie-
cta quæſtioni, expetenda verò pars attributa : tertia
vox, quæ ſupereſt , eſt argumentũ, nempe laudabile:
quod ita cõparari debet cũ virtute, aut eſt inſitũ vir-
tuti, aut eſt aſſumptũ. non aſſumptũ, quia nõ eſt teſti-
moniũ: inſitũ ergo. ſi inſitũ, aut ſimplex, aut coniun-
ctum. non coniunctũ: non enim eſt laudabile diffinitio
virtutis, neq; diuiſio : ergo ſimplex. ſi ſimplex, aut
rei, aut nominis. non nominis : quia laudabile neq; eſt
etymologia, neq; coniugatũ virtutis: ergo rei. ſi rei,
aut ſimpliciter tractatũ, aut cũ comparatione. non cũ
cõparatione quia neq; ducitur ex cõparatione impa-
ri, nec pari, nec ſimili, neq; diſsimili: ergo ſimpliciter
tractatum. ſi ſimpliciter tractatum, aut conſentaneũ,
aut diſſentaneũ. non diſſentaneum: quia neque lauda-
bile contrarium eſt virtuti , neque repugnans : ergo
conſentaneũ. ſi conſentaneũ, aut vnũ ex altero effici-
tur, aut non. non efficitur vnum ex altero : neutrum
enim eſt cauſa alterius, ergo ſunt ſubiecta & adiun-
cta. ſubiecta quidem virtus eſt, quam ſequitur laus ad
iuncta. ergo argumentum illud ſumptum erat ex re-
bus adiunctis virtuti. Hac exercitatione cognoſci poſ
ſunt argumenta in omnibus autoribus cuius generis
ſint , quibus cognitis facilè eſt iudicare, quanti mo-
menti & ponderis ſint argumenta , quæ ab autori-
bus afferuntur . Sed tenenda primum eſt altera exer-
citatio



citatio colligendi nudos ſyllogiſmos ex autoribus.
Vtriuſq; exercitationis præcepta & exempla mul-
ta leguntur in noſtro libello de varijs generibus exer
citationum Dialecticarum. In his autem diuiſioni-
bus argumentorum obſeruandum illud eſt diligen-
ter , vt genus proximum in omni diuiſione ſequenti
intelligamus : vt cum dicuntur argumenta alia rei,
alia nominis , non diuiduntur omnia argumenta , ſed
ea tantùm quæ inſita ſunt & prima . nam aliôqui ſin-
gulæ diuiſiones omnibus generibus argumentorum
conuenient.

Quamobrem decem ſunt genera argumento-
rum : cauſæ , facta.] Hæc genera argumentorum eo
ordine collocantur , quo poſteriora ex prioribus in-
telliguntur, quod poſtulat ratio docendi . Neq; verò
diffinitio reliquis locis anteponenda eſt, vt voluerunt
Cicero & Rodolphus , aliud enim eſt rem aliquam
methodo explicare , aliud tradere præcepta diffi-
niendi . nam præcepta diffiniendi non poſſunt intelli-
gi ſine ijs generibus argumentorum , ex quibus dif-
finitiones conficiuntur . quare in præceptis inuentio-
nis diffinitio poſtponenda eſt octo generibus argu-
mentorum , ex quibus duci poteſt . at verò cum ex-
plicantur res aliqua methodo , diffinienda pri-
mum ea res eſt , de qua diſſeritur . Quintilianus te-
ſtimonia reliquis generibus anteponit , cum infir-
miora ſint reliquis, & de omnibus generibus ar-
gumentorum enuntiari poſsint : vt ſi dicam calo-
rem non eſſe qualitatem adiunctam ſoli , quia ita
placuit

Universidad de Deusto
Biblioteca



placuit Ariſtoteli, profero teſtimoniū Ariſtotelis de rebus adiunctis. quare teſtimonia meritò à nobis in vltimum locum reiecta ſunt. Diuiſio poſtponitur locis conſentaneis: quia ex illis ducitur: & diſſentaneis atque comparationibus, quia partes diuiſionum diſſentaneæ ſunt, inter ſe comparatæ, ſi tractentur negatione, pares autem ſi affirmatè explicentur. poſtponitur etiam argumentis à nomine; quia quæſtio ponitur, ſit'ne genus vnum diuiſionis in quo ſignificationes nominis ambigui explicamus. Argumenta à nomine intelligi non poſſunt abſq; cognitione priorum locorum. nam coniugata in rebus ferè adiunctis ſpectantur: etymologia autem nominis quæ ſit explicatur aut ex cauſis, aut effectis, aut rebus ſubiectis, aut adiunctis, aut diſſentaneis, aut comparatione: vt origo Dialecticæ explicatur ex fine, nempe διαλέγεσθαι, quod eſt diſſerere. ab effectis: vt æthra ἀπὸ τοῦ αἴθειν, id eſt, ab ardendo. à rebus ſubiectis: vt logica ἀπὸ τοῦ λόγου, id eſt à ratione, circa quam verſatur. Ab adiunctis: vt philoſophia, id eſt, ſtudium ſapientiæ. à diſſentaneis: vt bellum, cùm malum ſit. ſed præſtat à beluis dici. à comparatione: vt aſtrum quoddam cœleſte vocatur Deltoton à ſimilitudine literæ Græcæ Delta. Comparata meritò ſuccedunt conſentaneis & diſſentaneis argumentis: quia cùm tractantur coniuncta explicantur cum conſentaneis, & diſſentaneis: vt comparantur inter ſe duæ cauſæ pares, aut impares, ſimiles, aut diſsimiles in efficiendo: vt, quemadmodum ſol fouet omnes naturas corporeas, ſic calor, qui ſub terra latet, conſeruat omnia ge-





nera rerum, quæ intra terrā naſcuntur. hæc ſimilitudo eſt, in qua comparantur duæ cauſæ conſeruantes ſol et calor internus terræ. Ita iudicandum eſt de reliquis locis. Diſſentanea tenent ſecundum locum, quia ſpectantur plerunq;, & fiunt ex conſentaneis: vt cùm pater & filius ſint cauſa, & effectum, relata efficiuntur. In conſentaneis ſubiecta & adiuncta poſteriora tractantur: quia ferè ita fit, vt ſubiectum ſit cauſa rei adiunctæ, eius præſertim, quæ ineſt: vt ignis cauſa caloris. Itaq; elegantiſsimo ordine collocata ſunt genera argumētorum: de quorum vi & pondere ita iudicādum eſt, vt argumenta quæ ducuntur ex cauſis, aut ex diffinitione, quæ ex cauſis conſtat, firmiſsima omniū ſint, proxima, quæ ducuntur ab effectis. Quod ita eſſe declarat Ariſtoteles quum in Poſterioribus demonſtrationem propter quid, & quia reliquis generibus argumentorum anteponat. Tertio loco ſuccedunt res ſubiectæ, & adiunctæ, aut diffinitiones, & diuiſiones, quæ ex ijs ducuntur. Quartus locus conceditur diſſentaneis: quanquàm hæc maiorem aliquando vim habent ad perſuadendum, quàm conſentanea: vt ad perſuadendum repugnantem, & peruicacem Sophiſtam. Quintus locus eſt comparationum, ſextus nominis, vltimus autoritatum. nam autoritas eſt infirmior reliquis argumentis. credimus enim autoritati propter rationem, ergo magis credimus rationi. Ex hac obſeruatione intelligitur propoſito quouis argumento, quanti momenti & ponderis ſit. Sed ad pondus cuiuſq; argumentationis iudicandum quæſitæ ſunt maximæ: quæ certè ne-

Universidad de Deusto Biblioteca



ceſſariæ non ſunt, ei qui tenet exquiſitam locorum cognitionem. Quid? quòd cùm tractantur argumenta probabiliter, parum admodum, aut nihil valent. Quod ſi dicas his maximis explicari vim & pondus argumentationis, fateor illud quidem, vt in hac ratiocinatione, omne animal viuit, omnis autem homo eſt animal, ergo omnis homo viuit, vis argumenti in eo poſita eſſe cernitur, quòd quicquid conuenit generi, conuenire idem ſpeciei neceſſe eſt. ſed tamen ex ingenio, & cognitione locorum iſta facilè occurrent.

Cauſa eſt cuius vi aliquid fit.] Hæc explicatio cauſarum generalis non pertinet ad philoſophiam tantùm naturalem: quamobrem ſine ratione Ariſtoteles perſecutus eſt in Phyſicis rationem communem cauſarum, cùm propria ſit aut Metaphyſicæ, aut Logicæ, quarum proprium eſt de rebus in commune diſputare. at verò Phyſicæ proprium erat cauſas tantùm rerum naturalium perſequi. Cauſa reliquis argumentis præponitur, propter rationes ſuperius annumeratas. Hæc ita confunditur à multis cum ratione, vt diffiniatur ratio, quæ ad explicandam quæſtionem affertur: vt Ariſtote. videtur diffiniuiſſe ſecundo Phyſico. Quæ diffinitio falſa eſt, quia ad omnia genera argumentorum transfertur. ſoluuntur nanq; problemata non ſolùm ex cauſis, verùm etiam ex reliquis locis, vt conſtat ex problematis Ariſtotelis, Alexandri, Plutarchi, Senecæ, & aliorum. Iam verò cauſa eſſe dicitur, vel ſi ad quæſtionem explicandam non afferatur.

Qua



Quare præſtabilior noſtra diffinitio cauſæ. cauſa eſt cuius vi aliquid fit, quæ ſumpta eſt ex natura rei.

Cuius quatuor ſunt genera.] De numero cauſarum magna apud viros doctos eſt diſputatio. Plato ſiquidem ſex genera cauſarum feciſſe videtur in Timæo: Finem, Formam, Exemplar, Efficientem, Inſtrumentum, & Materiam. de quibus exemplar rerum quidem naturalium non eſt cauſa, niſi ad Ideas diuinas referas. quod ſi in cauſis numeretur, forma cenſenda eſt, ad cuius ſimilitudinem dirigitur opus. Inſtrumentum etiã in cauſis efficientibus numerandum eſt. nam etſi primo non facit, facit tamen, aut iuuat ad faciendum. Poteſt tamen ex inſtrumento finis effici, ſi in continuata ſerie cauſarum efficientium inſtrumentum aliquod vltimum, comparatione præcedentium cauſarum conſtituatur. Quod ſi comparetur cum ſequentibus, tum cauſa efficiens erit: vt frigus externum conſtringit poros, pori conſtricti cohibent tranſpirationem. ſi hoc loco conſiſtas, tranſpiratio prohibita finis eſt frigoris externi, & aſtrictionis pororum: eadem comparata cum calore immoderato, cauſa efficiens erit. Quare de inſtrumentis ita iudicandum eſt, vt ſi inſtrumenta nullum habeant ordinem cum alijs cauſis efficientibus, ſed auulſa ab illis per ſe cohæreant, cauſæ efficientes ſint, vt dolabra lectica, ſin ordinem aliquem & continuatam cauſarum ſeriem habeant, erunt fines cauſarum præcedentium, & efficientes ſequentium. Quare inſtrumentum nõ eſt genus cauſæ diuerſum ab efficiẽte, & fine.

Ariſto

Universidad de Deusto Biblioteca



Ariſtoteles quatuor fecit genera cauſarum: finem, formam, efficientem, & materiam. quem numerum probamus, rationem tamen, qua ſuum numerum confirmat, non ſequimur. quæ taliseſt. Quia cauſa eſt ratio, quæ affertur ad quæſtionem explicandam, quot ſunt genera quæſtionum, tot erunt cauſarum. quæſtionũ autem quatuor ſunt genera: nam aut quærimus cuius gratia aliquid fiat, aut propter quam rem, aut à qua, aut ex qua efficiatur. Ex hac argumentatione falſa Ariſtotelis collegerunt quidã octo eſſe genera cauſarũ: quòd quatuor aliæ quæſtiones ſint, nempe in quo res fiat, quod eſt ſubiectum, per quod fiat, quod eſt inſtrumẽtum, cùm qua re fiat, & ſine qua effici non poſsit. In quibus numerantur locus, & tempus, quas cauſas in phyſicis Ariſtoteles eſſe voluit diuerſarum mutationum loci, quæ genera quæſtionum, ſi noua genera cauſarum faciunt, eodem pacto reliquæ argumentorũ formæ ad cauſas referentur: quia habẽt ſingulæ proprias quæſtiones. Cauſarum quatuor eſſe genera hoc argumẽto certo demõſtratur. Id omne cuius vi alterum fit, aut coniunctũ cũ eo cohæret, aut auulſum per ſe conſtat. ſi coniunctum cum altero cohæret, aut eſt ſubiectum, vt materia, aut id quod ſubiectum informat, vt forma. ſi per ſe cohæret, aut efficit, vt cauſa efficiens, aut incitat ad faciendum, vt finis. quare quatuor ſunt genera cauſarum. Finis, ſcopus, & vtilitas ad idem genus cauſæ pertinent, differunt ſola comparatione. nam finis vocatur, quia eſt extremũ actionis: ſcopus, quia eſt propoſitus agenti: vtilitas, quia finis ſuſcipitur cau-

ſa boni.



ſa boni. Neq; tamen omnis finis vtilitatis cauſa expetitur, ſed etiam honeſtatis cauſa, aut voluptatis. quare niſi quis omnia honeſta & iucunda appellari nomine vtilium velit, nomen vtilitatis non valebit idem planè, quod nomen finis. Subiectum in quo aliquid fit, aut non tractatur vt cauſa, aut ſi explicetur tanquàm cauſa ad efficientem, aut materiam referendum eſt: vt cùm quæritur ab Ariſtotele, cur ſol comprimat lutum, & liquet ceram, ad materiam ſolutio problematis referenda eſt, id eſt, ad eam materiam, ex qua lutum & cera conſtant: vt ignis caloris ſubiectum eſt, & cauſa efficiens. Voluntas, quæ à multis in cauſis numeratur, non eſt omnium rerum cauſa: at quarũ cauſa eſt, efficiens eſt. Locus, & tempus, & reliquæ cauſæ, quæ vocantur ſine quibus non, cauſæ non ſunt: quia illorum vi nihil efficitur. nam etſi dicimus mutato tempore et loco rerum temperationem mutari, hoc tamen ad ſolis acceſſum & receſſum referendum eſt, qui varijs qualitatibus aëra commutat, non ad tempus & locũ, quæ nihil efficiunt.

Finis eſt cauſa, cuius gratia aliquid fit.] Nomen finis tranſlatum eſt ab ijs rebus, quæ termino concludũtur. Græcè dicitur τέλος ἀπὸ τοῦ τελεῖν, id eſt, à perficiẽdo: quia adeptione finis vnaquæq; res perficitur. Ab hoc loco ſic tractabis argumenta: laudandus eſt, qui diſcit literas, vt alios, & ſeipſum iuuet: vituperandus contrà, qui eaſdem diſcit, cauſa gloriæ, aut quæſtus. Sic ſuaſit Cicero in oratione pro lege Manilia ſuſcipiendum eſſe bellum Mithridaticum, propter gloriam no-

Universidad de Deusto Biblioteca



minis Romani, ſalutem ſociorum, vectigalia publica, bona ciuium. Sic Horatius Torquatum deterret ab auaritia. Quò mihi fortuna eſt, ſi non conceditur vti? Sic in coniectura facti Cicero pro Milone finem Clodio necandi Milonis poſuit, ſpem conſulatus, & impunitatis, quòd eo ſublato verſaturum ſe rempublicam ſperaret. Idem pro Roſcio Amerino tollit ſpem omnem & commoda parricidij, vt ſuſpitionem tanti facinoris remoueat. Sic quæſtio diffinitionis ex fine explicatur. vt ea, quam ponit Quintilianus capit. 10. libri quinti, an ſacrilegus ſit, qui vt hoſtes vrbe expelleret, arma templo affixa detraxit. Altera diffinitio, quæ eodẽ loco affertur a Quintiliano, an tyrannicida ſit, qui tyrannum, à quo deprehenſus in adulterio fuerat, occidit, neſcio quî conſtet ex cauſis, niſi addas, vt ſuam vitam tueretur. In quæſtione qualitatis vt ſanctum lucrum, quod in eleemoſinis conſumitur. omnes diſputationes Philoſophorum hac cauſa, quæ omniũ nobiliſſima eſt, elegantiſſimè explicantur: adeo vt poſito fine, omnis quæſtio tollatur. Ex hoc loco præcepta artiũ inueniuntur: vt nos facimus toto hoc opere, qui ex fine Dialecticæ ſingula præcepta colligimus. Hic locus propria eſt forma, per quam diſtinguntur inter ſe artes, & habitus omnes animi. Hoc loco, quæ ſint propria cuiuſque artis præcepta, & quæ aliena intelligitur, & vt rem in pauca conferam, nullum ferè diſputationis genus in artibus propoſitum eſt, quin adhibito fine, facile explicetur.

Forma eſt cauſa, per quam vnaquæque res eſt.]





Forma diffinitur à duobus effectis: quorum vnum eſt rem quamque informare, à quo proprium nomen ſibi formæ fecit: alterum diſtinguere res inter ſe: ex quo vocatur differentia. Forma multarum ferè rerũ nobis ignota eſt: vt rerũ naturalium: niſi quis formam temperationẽ cuiuſq; rei interpretetur, quod verum'ne ſit, an falſum in quæſtionibus Phyſicis diſputabimus. Aliarũ rerũ forma melius intelligitur, quã poſſit exprimi: vt ædificij, vt nauis. tã enim formã appello internã et naturalem, quã externã & artificioſam. Ex hoc loco laudatur homo quod animum rationis compotem nactus fuerit. hinc laudantur ædificia, aut vituperãtur, quod propter formam diuerſam, aut diuturniora, aut pulchriora, aut contraria his dicantur. Hinc ſuademus patrifamilias viuendum eſſe potius in hac domo, quã in altera, quod tectum huius in eam formã erectum ſit, vt poſſit ſe facilius tueri ab iniurijs cœli. Hinc in coniectura facti argumentamur non fuiſſe commiſſum hoc facinus ab eo, qui animum compotem rationis habuerit. Hinc explicantur omnes diffinitiones omnium artium, ſi forma rei nota ſit: vt homo diffinitur animal compos rationis. ſic res omnes artificioſæ per formam diffiniuntur. Hinc quæſtio qualitatis tractari poteſt: vt ſit'ne præſidium ciuitatis firmum, tutum quia habet formam hanc, aut alteram. Ex hoc ferè loco omnes quæſtiones ſoluuntur quæ pertinent ad artes factionum quarum opera formam aliquam habere cernuntur.

Efficiens eſt, à qua res eſt.] Cicero in Topicis

Universidad de Deusto Biblioteca



hoc ſolo nomine efficientis omnia genera cauſarum complectitur, quia conferũt aliquid ad efficiendum: vt finis alliciendo, forma in formando, materia patiendo. Sed præſtat nomen efficientis vni tantùm generi accommodare. Diffinitur efficiens ab Ariſtotele. 2. Phyſico, quæ rem primò mouet. Quæ diffinitio, ſi vera eſt, falſa erit diſsimilitudo cauſarum efficientium, quæ ab eodem. 2. Phyſico affertur, vt dicantur aliæ propinquæ, aliæ remotæ. quare melior noſtra diffinitio cauſa efficiens eſt, à qua re eſt.

Quæ trifariam diſtinguitur cõmuni methodo colligendi differẽtias.] Hæc methodus quæ ſit, explicabimus in argumento à diuiſione. Hac methodo, qua colliguntur differentiæ cauſarum efficientium, poſſunt colligi in commune omnium cauſarum differentiæ, contra quam fecit Ariſtot. 2. Phyſico & quinto Metaphyſico, qui certam methodum in his differentijs colligendis non eſt ſecutus: ob idq́; multas ſuo inſtituto neceſſarias prætermiſit: quales illæ ſunt: cauſarum, aliæ certæ, aliæ incertæ: & cauſarum, alia præſtantior, alia deterior: quibus vtitur. 2. Phyſico diſputans de fortuna, & de operibus naturæ propter finẽ. Omiſit etiam alterã diſsimilitudinem cauſarũ in perpetuas, & eas, quæ ſubiectæ ſunt ortui & interitui. qua diuiſione in tota ferè Philoſophia vtitur. Colliguntur ergo omnes differentiæ cauſarum in commune aut ex cauſa, aut ab effectu, aut à modo efficiendi. ex cauſa: vt cauſarum aliæ perpetuæ, aliæ ſubiectæ ortui & interitui. perpetuus finis: vt beatitudo. per-

petua



petua cauſa efficiens, Deus. perpetuæ formæ, ideæ in Deo. perpetua materia prima de ſententia Ariſtotelis. Subiectæ interitui innumerabiles ſunt, Ex cauſa itẽ ſumuntur hæ differentiæ: aliæ generales, vt cœlum, aliæ ſpeciales, vt ſemen. aliæ præſtantiores, vt finis & forma, aliæ deteriores, vt efficiens, & materia. Ex effectis quoq; ſumuntur differentiæ cauſarum: aliæ alliciunt, vt finis, aliæ faciunt, vt efficiens, aliæ informant, vt forma, aliæ patiendo faciunt, vt materia. Ex modo efficiendi: aliæ ſunt cauſæ per ſe, vt ignis caloris, aliæ fortuitæ, vt frigus caloris eſt cauſa per ἀντιπερίστασιν. Item aliæ faciunt re ipſa & actu, aliæ patiẽtia, aliæ etiam proximæ, aliæ remotæ. Hac methodo colligendæ erant differentiæ omnes cauſarum, quas noſſe Philoſophum naturalem multum iuuat, & reliquos artifices, quorũ ars aliqua explicatione cauſarũ cõtinetur. Sed vt eo vnde digreſsi ſumus reuertamur, eadem methodus, quæ in omni genere cauſarũ valet, adhibenda eſt ad colligendas differentias cauſarũ efficientium, quam nos ſequimur in conſtitutione artis Dialecticæ.

Cauſa aut eſt abſoluta, aut adiuuãs.] Hæc diuiſio legitur ĩ Topicis Ciceronis, quæ videtur ex Chryſippo deſumpta fuiſſe. ſic enim in libro de Fato ſcribit Cicero. Cauſarũ enim, inquit Chryſippus, aliæ ſunt perfectæ & principales, aliæ adiuuantes & proximæ. Abſoluta cauſa diffinitur, quæ ſola per ſe rem facit: ſolam & per ſe interpretor, cum ſine alijs cauſis efficientibus facit: vt ignis accendit non ſine reliquis ge-

 neris

Universidad de Deusto
Biblioteca



neribus cauſarum : adhiberi enim poſſunt materia,
forma, & finis ſed ſine alijs cauſis efficientibus. Ad-
iuuãs eſt, quæ aut aliam iuuat, aut ab alia iuuatur, quæ
aut præcipua eſt, aut comes & adminiſtra. præcipua:
vt rex, cui laudem rerũ omnium geſtarũ tribuimus, cũ
tamen ſolus nõ fecerit. miniſtra: vt milites, & reliqui
qui pro ſalute reipublicæ pugnant. Ex hac prima diui
ſione cauſarũ efficientiũ cõmendat Cicero clementiã
Cæſaris in oratione pro M. Marcello, & minuit lau-
dem bellicam, quod eam cũ multis cauſis adiuuãtibus
cõmunicauerit. Hinc ſuadebis diſcendas eſſe amico li
teras, cui ſuppetant libri, nũmi, ocium, amici, cũ qui-
bus ſua ſtudia communicet. Hinc diſſuadebis commit-
tendum facinus alicui, quia ſolus facere non poßit.
Hinc in quæſtione facti Niſus. 9. AEneid. profitetur
ſe ſolum autorem factæ cædis, vt Euryalum amicũ de-
fendat. Hinc res etiã poſſunt diffinitione explicari: vt
facultas eſt quæ natura, arte, et exercitatione cõpara
tur. Hinc quæſtio qualitatis ſoluitur: vt nõ poſſe com
mitti benè certamen à ſolo homine. Hæc dißimilitudo
cauſarũ omnium artibus neceſſaria eſt. nam niſi intel-
lexeris quibus præſidijs quæq; res comparetur, & ſit
ne ſeipſa contenta, naturam rei non intelliges.

A re quæ fit: cauſa aut eſt procreans, aut cõſeruãs.]
Procreandi verbum non de ſolis animantibus, ſed de
omni re, quæ aliquid efficiat, accipiendũ eſt. Cõſeruã-
di autem verbũ dicitur in re perfecta. Fieri autem po
teſt, vt vna & eadem res cauſa procreans & cõſer-
uãs ſit. Ita Cicero in officijs eaſdem facit cauſas pro-
creantes



creantes & conſeruantes gloriæ in republica, fauo-
rem, gratiam, amorem & opinionem virtutis. Ex hac
diuiſione cauſarum laudamus, aut vituperamus libe-
ros à parentibus, opera ab artificibus: vt poëma ele-
gans, quia Homeri. ineptum, quia Chœrili. Hinc hor-
tamur adoleſcentes ad virtutem argumento à paren-
tibus: vt apud Virgilium libro. 12. AEneas hortatur
Aſcanium ad virtutem ſuo ipſius exemplo. Diſſuade-
mus etiam aliquid committendũ alicui ne à maioribus
ſuis degeneret. Hinc cõijcimus factum aliquid ab eo
qui conſeruantes cauſas adhibuerit. Hinc etiam diffi-
nitiones ſumuntur: vt rem publicã eſſe ſocietatem ho
minum, quæ magiſtratibus, legibus, & iudicibus
conſeruetur. Hinc quæſtio qualitatis explicatur: vt
cum dicimus hominem benè conſuluiſſe ſaluti, qui
ſuum corpus aßidua exercitatione & opportuna cõ-
firmauerit.

A modo efficiendi: ſpontè, aut non ſpontè.] Hæc di-
uiſio cauſarum petita eſt ex. 2. Phyſico Ariſtotelis.
ea dicitur ſpontè facere, quæ particeps eſt conſilij, et
certa deliberatione vtitur ad agendũ: vt homo. ea fa-
cit non ſpontè, quæ caret conſilio, cuius tres formæ
ſunt expreſſæ in contextu, natura, neceßitas, & for-
tuna. Naturales cauſæ adhibentur à Phyſiologis in
explicatione rerum naturalium: vt cùm diſputant
de rebus Meteorologicis, de animalibus, & plantis,
atq; metallis ut aër conſtringit, quia frigidus eſt. Ne-
ceßitas eſt cùm vi aut humana, aut diuina, aut ab
alia quauis externa cogitur efficiens ad effectum.

Universidad de Deusto Biblioteca



Ad hoc genus referuntur interdum eæ cauſæ, quæ nõ omnino coguntur, ſed quaſi cogi videntur: vt mercator dicit ſe coactum fuiſſe abijcere merces in mare propter tempeſtatem: cum tempeſtas eam neceſſitatẽ non planè afferat. Huic cauſæ parum, aut nihil tribuitur ad efficiendum, ſed cogenti potius: vt non reprehenditur, qui coactus aliquid commiſerit, ſed qui illũ ad id faciendum impulit. Fortuna eſt cauſa inopinati euentus. Nam cum in omni actione fortuita duo ſint effecta, primum voluntatis eſt, vt iacere telum, ſecũdum fortunæ, quod præter opinionem accidit, vt ferire quem nolueris, vt Cicero explicat in Topicis. Ex hac diuiſione cauſarum laudantur, qui ſponte ſtudia literarum aut virtutum ſequuntur, vituperanturq́;, qui contrà affecti ſunt. Hinc ſuademus virtutem expetendam eſſe, quod poſita ſit in noſtra voluntate, diuitias autem & cætera bona externa contemnenda eſſe, quia fortuita ſunt. Hinc docemus non fuiſſe commiſſum facinus ab eo, qui coactus fecerit, aut caſu. Hinc frequentes deprecationes: ignoſce, imprudens feci. Hinc diffinitiones: vt omnes rerum naturalium ex natura. Hinc quæſtiones qualitatis ſoluuntur: vt omnes morales. nam bona'ne ſit actio, an mala ex voluntate agentis iudicamus: vt cũ ſponte fecerit rem bonam, bona cenſeatur: ſi non ſponte, mala. Hinc omnis gloria iuris prudentium, & Politicæ, & œconomicæ quæ ſponte gerentibus res bonas, præmia maiora proponit, non ſponte gerentibus, aut nulla, aut minora.

Materia eſt, ex qua aliquid fit.] Hac ſignificatio-

ne



ne materiam artium nominamus præcepta, ex quibus conſtant, Nam materiam, circa quam artes verſantur, materia propriè appellari non poteſt, ſed ſubiectum. Ex hoc genere cauſæ laudantur res: vt regia ſolis ex auro, & pyropo. Item vituperantur: vt vermes, & reliqua inſecta, quod ex cadaueribus nata ſint: ſuademus item, ædificandas naues, quia ſuppetit materia: et diſſuademus, erigẽdam hoc tempore domum, quia deeſt materia. Hinc conijcimus gladium ab eo factum fuiſſe, qui ferrum habuerit: & nummos ab eo adulteratos non fuiſſe, qui metallis caruerit. Hinc diffinitiones pleræq; ſumuntur: vt animal inſectum eſt, quod ex putrido corpore procreatur. Hinc quæſtiones qualitatis ſoluũtur, vt verus'ne an adulterinus ſit nũmus, ex materia. verum'ne an adulterinum ſit metallum.

Facta ſunt, quæ ex cauſis exiſtunt.] Effecta comparantur cum cauſis, ita vt quot ſunt genera cauſarũ, tot videantur effectorum eſſe, quæ ex cauſis exiſtũt. Quæ cauſa fuit Rodolpho nominandi euenta omnia genera factorum, & effecta propriè, quæ ex efficientibus exiſtunt, & deſtinata, quæ à fine fiunt. Huius loci exemplum falſum legitur in Topicis Ciceronis: Mulier in manũ viro conuenit, ergo, quæ bona mulieris fuerunt viri fiunt dotis nomine. nam argumentũ à cauſis ductum eſt, non ab effectis: quia conuentio manuum, id eſt, legitimum connubium cauſa efficiens eſt, cur bona mulieris in poteſtatem viri venerint: Ex hoc loco laudantur homines ab ijs, quæ geſſerunt, aut dixerunt. Hinc docti viri laudantur ex libris editis.

 Item

Universidad de Deusto
Biblioteca



Item vituperantur ex factis & dictis : vt à Cicerone
reprehenduntur acerrimè nequißimi ciues ex vita
anteacta, & rebus geſtis : vt Catilina, Clodius, Vati-
nius, Piſo, M. Antonius. Hinc hortamur homines ad
ſtudium ſuæ dignitatis, vt tueantur gloriã rerum an-
tea geſtarum: & reuocamus à vitijs propter ignomi-
niam anteactæ vitæ. Hinc conijcimus cædem factam
ab eo fuiſſe, qui interrogatus à iudice in reſponden-
do ſibi non conſtitit. Sic Cicero argumentatur Clo-
dium ſtruxiſſe inſidias Miloni: quia dixerat triduo
ante ſe Milonem occiſurum fuiſſe. Hinc diffinitio-
nes petuntur, quales ſunt virtutum & vitiorum : vt
iuſtitia eſt virtus ſuum cuiq; tribuens. Hinc quæ-
ſtiones qualitatis ſoluuntur : vt diligenter ſcriptum
fuiſſe ab eo opus, qui methodum ante confectionem
operis quæſiuerit, autores ad id conficiendum com-
parauerit, de ijs iudicauerit, addendo, detrahendo,
mutãdo, exẽplis multis illuſtrauerit, difficultates om-
nes ſuſtulerit, ac vno verbo ea omnia præſtiterit, quæ
ad intelligẽtiã autoris neceſſaria eſſe iudicauerit. Ad
hunc locũ effectorũ referuntur nõ ſolũ præterita, ve-
rũ etiam conſequẽtia effecta: vt quid facturus fuerit
Alexãder Macedo, ſi in Italiã veniſſet. Hinc etiã re-
ferenda ſunt cõſilia: vt Parmenionẽ & Phylotã occi-
di iußit Alexander propter ſuſpicionẽ coniurationis.
Porrò autẽ in explicandis cauſis & effectis rerũ duo
obſeruãda ſunt diligenter: primũ, quæ vis cauſæ ſit ad
efficiendũ, ſecundũ, qui ordo, & quæ ſeries cõtinuata
cauſarũ ſit. Porrò quæ vis ſit cuiuſq; cauſæ ad efficiẽ-
dum



dũ tribus rebus cognitis intelligetur: quid poßit, quo
modo, & quantũ tẽpore agat. Quid poßit cognoſci
tur ex circũſtãtijs: vt ex tẽpore et loco. mutatur enim
vis cuiuſq; cauſæ tẽpore et loco mutatis: vt Fauonius
ſalutaris eſt Beticis, pnitioſus Valẽtinis: vt auſtri ſalu
tares hyeme, pnicioſi æſtate. aut cauſa tota ſua vi effi-
cit, aut parte quadã: vt homo ſcribit manu, mouetur to
to corpore: aut habet vim efficiẽdi in rem totã, aut in
partẽ: & aliæ dißimilitudines q̃ mutãt facultatẽ cau-
ſæ. Modus etiã diſtinguit vim cauſarũ: vt frigus p ſe
refrigerat, fortuito verò calefacit. Itẽ tẽpore, vis cau
ſæ mutatur: vt ſperma retentũ in venenũ cõuertitur.
Quod autẽ ad ordinẽ cauſarũ ptinet, in tradẽda arte
ex primis gñeribus cauſarũ ad vltima deſcẽdẽdũ eſt,
quẽadmodũ pcipit Ariſ. at verò in q̃rẽdis cauſis vnius
effecti, pſtabilius eſt methodo reſolutionis à proxima
cauſa rei effectæ ad primã regredi: vt ſi quæſtio pona
tur, q̃ ſit cauſa cur vẽtres hyeme calidiores ſint, pro-
xima cauſa eſt, quia calor eſt cõſtipatus: cõſtipatur au
tẽ propter prohibitã tranſpirationẽ: prohibetur trãſ
piratio propter aſtrictos poros: aſtringũtur pori pro
pter frigus hybernũ: frigus autẽ hybernũ propter re-
ceßũ ſolis à noſtro hemiſphærio. Cauẽdũ tamẽ diligẽ
ter eſt in vtraq; enumeratione cauſarũ, ne qua media
cauſa à nobis prætermittatur: nõ ptermittetur autẽ, ſi
intelligatur, q̃ ſit proxima cuiuſq; rei cauſa. eſt autẽ ea
proxima, qua primũ ſublata, tollitur effectũ: vt ſubla-
to primum receſſu ſolis, tollitur frigus hybernum, at
verò non ſublata aſtrictione pororum primò, tollitur
calor

Universidad de Deusto Biblioteca



calor vehemens . nam pleraq; conſtipatis etiam poris
non habent vehementem calorem internum : vt quæ
frigida ſunt temperatione. His expoſitis, ſupereſt vt
ordinem duplicem eſſe cauſarum doceamus: vnum
γενέσεως, id eſt, procreationis, in quo prima eſt mate-
ria, ſecunda cauſa efficiẽs, tertia forma, vltimus finis.
alterum analyſεως, id eſt, reſolutionis: in quo primus
eſt finis, ſecunda forma, tertia cauſa efficiens, vltima
materia. Cauſarum maximus vſus eſt in omni diſputa
tione, præſtantiſsimus tamen in deliberatione, & cõ-
iecturis facti. Nam in omni deliberatione duo quærun
tur: vnum, expediat'ne, id de quo ſuſcepta eſt delibe
ratio: alterum, poſsit'ne fieri. primum explicatur ex
fine, ſecundum ex cauſis efficientibus. Item in conie-
ctura facti omnis quæſtio ad hæc duo capita referen-
da eſt, voluerit'ne facere, & an potuerit. voluntas ex
fine colligitur: vt ex ſpe commodi, potuiſſe ex cauſis
efficientibus probamus, præſertim ex adiuuantibus.
Neq; verò exiſtimãdum eſt cauſarum locum ita con-
uenire his quæſtionibus explicandis, vt ſolus accom-
modetur, aut ſolis his quæſtionibus conueniat. neutrũ
enim verum eſt: cauſæ ſiquidem omnibus ferè generi-
bus quæſtionum explicandis conueniunt, & hæc ge-
nera quæſtionum, quæ ſupra expoſita ſunt, omnibus
locis explicari poſſunt. ſed quia frequentius adhiben
tur in ijs quæſtionibus explicandis, quas ſuprà retuli,
idcirco à me id obſeruatum eſt.

Subiecta ſunt, quæ ſubijciuntur adiunctis.] Subie-
cta & adiuncta inter ſe comparantur, quemadmodũ
causæ



cauſæ & facta. Quorum tria genera certa methodo
in textu à nobis colliguntur. Ariſtoteles adiuncta vo
cat accidentia: quorum nouem facit genera ex quibus
qualitates, & quantitates & ſitus continentur ſub
adiunctis, quæ inſunt: actio & affectio ſunt facta: re-
lata ad locum diſſentaneorum pertinent: vbi & quã-
do ad ſubiecta, quæ circunſtant: habitus ad adiuncta,
quæ circunſtant refertur. Quare latius patet nomen
accidentis, vt ab Ariſtotele ſumitur, quàm nomẽ ad-
iunctorum. Cicero adiunctorum tria facit genera in
Topicis: quæ rem antecedunt, vt minæ cædem, quæ
coniuncta cum re cohærent, vt cruor gladij, & quæ
ſequuntnr, vt titubatio. Sed hæc diuiſio in eo repre-
hendenda eſt, quòd non eſt propria rerum adiuncta-
rum, ſed omnium argumentorum, cõmunis eſt. Porrò
locus partim pertinet ad ſubiecta, in quibus ineſt ali-
quid, partim ad ea ſubiecta, quæ rem circunſtant: vt
ſi terram dixeris locum eſſe plantarum, ſubiectum
eſt, in quo inſunt plantæ, & cum quo coniunctæ co-
hærent, quod ſi terram dixeris ſubiectum eſſe homi-
num, ſubiectum eſt, quod circunſtat. nam cohæret
terra ipſa per ſe auulſa ab hominibus, & homines vi-
ciſsim auulſi à terra ipſi per ſe conſtant. Tẽpus etiam
ſubiecta res eſt, quæ circunſtat: in quo dicuntur res
eſſe aut fieri. A re ſubiecta, in qua aliquid ineſt, lau-
dãtur pleraq;, et vituperãtur: vt arbores & herbæ à
locis, in quibus naſcũtur: vt arbores Armenicæ, Per-
ſicæ, Ponticæ. Hinc ſuademus expetenda bona animi,
quia in animo, hærent. Hinc reuocamus homines à
nimio

Universidad de Deusto
Biblioteca



nimio ſtudio luxus & ſalutis, quia hæc in corpore in-
ſunt. Hinc dicimus reſolutā fuiſſe niuē, quia eſt è liqua
bili materia. Hinc explicamus diffinitiones: vt ecſtaſim
eſſe, perfectiſsimū ſtatū vitæ in mente. Hinc quæſtio
qualitatis explicatur: vt ſapientiā in eo nō eſſe, cuius
animus obnoxius eſt perturbationibus. Hinc Philoſo
phi naturales diſputant multa de ſolo plantarū: vt de
ſeminarijs arborum, fruticum, ſuffruticum, & herba
rum. Ab adiunctis quæ inſunt magna ſuppetit copia
argumentorum ad laudandum, & vituperandum, tam
ex adiunctis certis, quàm ex incertis. ex certis: vt ex
virtutibus & vitijs. ex incertis: vt Phyſiognomones
ex notis externis corporis internos animorum mo-
res conijciunt. Sic Medici ex ſignis faciei, reliquiarū
cibi, & totius corporis, de proſpera & aduerſa vale
tudine ratiocinantur: quæ pars maxima artis Medicæ
eſt σημειωτικὴ vocata. Sic Philoſophi & Medici fa-
cultates plantarum diſtingunt ex calore, ſapore, odo
re. etſi hæc ratio non ſemper certa eſt & conſtans,
vt docet Galenus in libris de ſimplicium medicamen-
torum facultatibus. Hinc ſuademus vitandam eſſe eo-
rum hominum conſuetudinem, qui improbi ſunt, &
carent literis, contrà eorum ſequendam eſſe, qui pro-
bi ſint, & literarum ſtudioſi. Hinc conijcimus factā
cædem fuiſſe ab homine ſeditioſo, à tyranno, ab ho-
micida. Hinc diffiniuntur pleræq; res, præſertim cum
ignoratur, quæ ſit propria vis & natura cuiuſq; rei.
Sic animalia, & plantæ & metalla, cum ignoretur
quid ſint, ex coacervatione circunſtantiarum deſcri-
buntur:



buntur: vt oxalis eſt herba facultate frigida, ſapore
acido, cuius folium refert ſimilitudinem lapathi ſyl-
ueſtris & exigui, caule tereti, ſeſquicubitum alto,
ſemine rubro, in mucronem acuminato, quod folia-
ceo veſtitur inuolucro, ſapore acri, è ſcapo & coli-
culis agnaſcentibus erumpente. vt Fiber aut Castor
eſt animal ἀμφίβιον, ſimile lutriæ præter caudam, pi-
los habet pluma molliores, pulcherrimos, denſos &
breues, duros, fului coloris, nitidiſsimos, pellem ci-
neream ad nigrorem vergentem, aures minimas &
rotundas, dentes prominentes, longos, latos, aduncos,
in vtraq; maxilla binos, coniunctos, inferiores extra
maxillam tribus digitis prominentes, ſeſqui digito ſu-
periores, ex flauo ruffos, octo molares in vtraq; ma-
xilla, breues & in ſuperficie aſperos, & plicis qui-
buſdā ſeu rugis cōſtātes, pedes priores caninis, poſte
riores anſerinis ſimiles, caudā latam palmū ferè, lōgā
dodrantem, ſquammoſam, ſoleæ ſimilem, teſtes par-
uos, aſtrictos & adhærentes ſpinæ. quos ipſum auel-
lere falſum eſſe prodiderūt Dioſcorides, Sextius, Pli
nius & Albertus. Hinc quæſtio qualitatis diſſoluitur:
vt licuiſſe ſeni reprehēdere adoleſcētē. A' rebus ſub
iectis, circa quæ verſantur adiūcta laudamus & vitu-
peramus: vt virtutes à rebus bonis, circa quas occu-
pantur cōmendamus, & vitia à rebus malis reprehēdi
mus. Hinc ſuademus diſcendā Dialecticā, quia tota in
cultu rationis verſatur: reuocamus homines ab artibus
Magicis, quæ in veneficijs totæ cernūtur. Hinc cōijci
mus cōmiſſam fuiſſe cædem à milite, qui ſemper vul-
nera

Universidad de Deusto
Biblioteca



nera & cædes enumeret. Hinc definimus virtutes, ar-
tes, & facultates: vt fortitudinem virtutem eſſe po-
ſitam in periculis ſubeundis: aſpectum ſenſum eſſe,
quo colores comprehenduntur. Hinc quæſtio qualita-
tis ſoluitur: vt iucundam eſſe cognitionem Phyſiolo-
giæ, cuius omne opus poſitum eſt in cognoſcendis ge-
neribus, formis, differentijs, cauſis, effectis, ſubiectis
rebus, & adiunctis, atq; partibus mundi, cœli, elemen-
torum, rerum meteorologicarum, metallorum, anima-
lium, zoophytorum, & plantarum. A' rebus adiun-
ctis, quæ verſantur circa rem ſubiectam laudamus &
vituperamus: vt ratio commendatur, quia Dialectica
eius ars eſt, quæ parens eſt & procreatrix laudanda-
rum artium: ſic vituperamus flagitia, in quibus luxu-
ries cernitur, & ſupplicia, in quibus crudelitas. Hinc
hortamur homines ad labores & moleſtias patienter
ferendas, quòd fortitudinis ſit proprium. Sic deterre-
mus homines à rapinis, quòd earum ſtudium propriũ
ſit auaritiæ. Hinc conijcimus narrare naufragium ho-
minem naufragũ. Hinc diffinimus res ſubiectas: vt ſa-
porem qualitatem eſſe, quæ guſtatu percipitur. Hinc
quæſtio qualitatis ſoluitur: vt benè diſputatum fuiſſe
de rebus naturalibus à Phyſiologo. A' rebus ſubiectis
quæ circunſtant laudamus & vituperamus: vt Rhe-
tores commendant perſonas ex loco & tempore, in
quibus natæ ſunt: & ex iiſdem locis vituperant. Hinc
ſuademus ex loci & temporis oportunitate, aut diſ-
ſuademus. Hinc coniicimus veriſimile eſſe ab eo ho-
mine commiſſum fuiſſe facinus, qui eadem hora &
loco



loco interfuerit. Hinc deſcriptiones plerunq; illu-
ſtrantur: vt Antichthones ſunt, qui aduerſam nobis
terram incolunt. Hinc quæſtio qualitatis explicatur:
vt candidum eſſe hominem, quòd ſit Germanus, nigrũ,
quòd ſit AEthiops. Ab adiunctis, quæ circunſtant,
commendamus & vituperamus: vt laudamus regem à
veſtitu, & comitatu, equitum & peditum. Sic Cice-
ro vituperat Catilinam ſecunda oratione à comitatu
nequiſsimorum hominum. Hinc ſuademus ſtudendum
eſſe iuris prudentiæ propter ſalutationes, deductio-
nes, conſultores frequentes, munera, magiſtratus. Sic
diſſuademus tyrannidis ſtudium, quòd coniunctum ſit
cum familiaritate latronum, gladiatorum, ganeonum,
ſicariorum, ac hominum perditiſsimorum. Hinc con-
iecturam facti explicamus: vt inſidiatum fuiſſe Clo-
dium Miloni, quod cum ſeruis robuſtis progredere-
tur. Hinc quæſtio qualitatis ſoluitur vt adoleſcentem
probum eſſe, qui familiariter viuat cum ſenibus, cùm
viris doctis. Atq; hæc de exemplis rerum ſubiectarũ,
& adiunctarum, in quibus explicandis trifariam pec-
caſſe mihi videtur Ramus. primùm quòd nullam nouæ
diuiſionis certam rationem attulerit. nam quæ affer-
tur à Talæoratio tenuis eſt ex vſu naturali deſum-
ptam fuiſſe diuiſionem. Deinde quòd locum coniun-
ctum cum re, & auulſum ad idem genus rei ſubiectæ
retulerit: cùm locus externus circunſtare rem videa-
tur. Poſtremò quòd ante poſuit adiuncta, quæ circun-
ſtant ijs, quæ circa occupantur. Huius loci adiuncto-
rum exemplum falſum legitur in Topicis M. T. Ci-

O ceronis.

Universidad de Deusto
Biblioteca



ceronis. Si ea mulier teſtamentum fecit, quæ ſe cá
pite nunquam diminuit, non videtur ex edicto præ-
toris ſecundum eas tabulas poſſeßio dari, adiungitur
enim vt ſecundum ſeruorum, ſecundum exulum, ſe-
cundum puerulorum tabulas poſſeßio videatur ex
edicto dari. Hoc argumentum à pari ſumitur, in quo
comparantur pares perſonæ, quibus teſtamenti factio
nulla eſſe poßit: nempe mulieres, ſerui, exules, &
puerulí. Ex his locis maior copia argumentorum ad
rem quamuis explicandam ſuppetit, quam ex cauſis,
& effectis, præſertim in cauſis cõiecturalibus, quarũ
propria ſunt ſigna, ſuſpitiones, & coniecturæ: & in
Philoſophia naturali, quæ omnem explicationem re-
rum naturalium ad qualitates refert. De adiunctorũ
vi iudicandum illud eſt, etſi ſingula leuia per ſe ſunt,
ſi coniungantur tamen, multum ponderis habere.

Diſſentanea ſunt, quæ in eadem re ſimul affirma-
ri & negari nõ poſſunt.] Hæc diffinitio diſſentaneo-
rum in eadem re numero intelligenda eſt: vt nigrum,
& albũ nõ poſſunt affirmari et negari ſimul de eodẽ.
Diſſentaneorum duo ſunt genera: contraria & repu-
gnãtia. cõtraria, quorũ vnũ tãtũ vni certa lege repu-
gnat. Neq; verò aſſentimur Ramo, qui ea etiam vocat
contraria quorum vnum multis repugnat. quod alio-
qui tenuis ſit dißimilitudo contrariorũ, & repugnan-
tiũ. Malumus Vallã ſequi, qui negat duo vitia vni vir-
tuti eſſe aduerſa, & meritò quidẽ. Nam cũ in duobus
vitijs duæ contradictiones ſint, cuiuſq; autẽ cõtradi-
ctiõis duæ ſint partes, vna turpis, altera honeſta. pro-





fecto duobus vitijs duas virtutes repugnare oporte-
bit: vt in dandis pecunijs ſola liberalitas virtus eſt, &
ſola effuſio vitium: in nõ dandis, frugalitas ſola virtus
eſt, & auaritia vitium: quare vera eſt ſentẽtia Vallæ.
Porrò de medijs extremarũ rerũ, vt de medijs colori-
bus exiſtimandũ eſt vnũ tãtũ vni eſſe aduerſum, quia
vna tãtũ ratiõe aduerſatur. vt pallidus color hoc ipſo
quòd particeps eſt candoris, aduerſatur nigrori, &
hoc ipſo q̃d particeps eſt nigroris, aduerſatur cãdori.
Repugnãtia q̃ ſint explicatũ eſt in cõtextu quæ à Ci-
cerone prætermiſſa ſunt, cũ eorum frequens ſit vſus.

Contrariorum quatuor ſunt genera.] Contraria
vulgò à Peripateticis oppoſita nominantur. Quorum
diuiſio in quatuor genera Ariſt. eſt & meruit omniũ
doctorũ conſenſum. Quæ hoc modo colligi poteſt o-
mnia cõtraria, aut inter ſe poſſunt referri, aut nõ. prio-
ris generis ſunt relata: quæ nõ poſſunt referri, aut ha-
bẽt commune genus, aut non: prioris generis ſunt ad-
uerſa. Quæ non habent commune genus, aut diuidunt
omni tẽpore veritatẽ à mendacio, qualia ſunt contra-
dicentia, aut non, qualia ſunt priuantia.

Aduerſa ſunt, quæ ſub eodẽ genere comprehenſa.]
Hæc diffinitio aduerſorũ traditur ab Ariſto. extremo
cap. περὶ ἑρμηνείας in categorijs tamẽ cap. de quãtitate
videtur hãc diffinitionẽ alijs Philoſophis tribuere di-
ſputãs de cõtrarijs locis. Huic diffinitioni addiderunt
Peripatetici, et ĩ eodẽ ſubiecto inſũt, q̃d poteſt aduer-
ſa ſuſcipere. quorum vnũ expellit alterũ, niſi alterũ
inſit à natura. Quæ additio integr... nuſquã legitur in

Ariſt. & falſa eſt, quia cōuenit ſolū qualitatibus natu-ralibus: vt calori, & frigori: cū multò plura ſint genera aduerſorū in ſingulis artibus. Videtur tamen Ariſt. iſtā additionē collegiſſe ex capite de cōtrarijs, cū ait Ariſt. hoc intereſſe inter priuantia & aduerſa, quòd aliquādo alterutrū aduerſum expellit alterum, vt frigus calorē, & viciſsim, habitus verò non pellit priuationē: nā qui cæcus eſt, non poteſt videre naturali præſertim ratiōe, neq; mutus loqui, exceptis paucis admodū, quibus id cōtingit vt filio regis Chrœſi: cum dicimus aduerſa ſub eodē genere cōprehendi, id intelligēdum eſt tā de genere proximo, vt homo & belua ſub animali, quā de remoto & longè petito, vt iuſtitia & iniuſtitia ſub qualitate. Aduerſorum autē duo ſunt genera, quæ affert Ariſto. in categorijs: vnum eorū quæ habent medium, vt candor & nigror pallorem: alterum eorum quæ carent medio: vt par & impar. In illis affirmato vno tollitur alterum, non viciſsim: ſublato vno, reliqua ponuntur. vt ſi candidus eſt, non eſt niger, non viciſsim, ſi non eſt candidus, eſt niger. nam ſunt multi alij colores. In his verò vno affirmato, alterum tollitur & viciſsim: vt ſi non eſt numerus par, eſt impar, & viciſsim. Aduerſa omnia bifariam tractātur. Nam aut conferuntur duo cum re tertia, aut duo cum duobus. duo cum re tertia, tractantur contrariè: vt ſi virtus eſt expetenda, vitium non eſt expetendum. duo cum duobus tractantur aut vtrunq; affirmatè, aut cum negatione: vt ſi virtus eſt expetenda, vitium eſt fugiēdū: quanquam altera idem valet quod negans.



negans. ab aduerſis laudamus & vituperamus: vt ſi prudentia eſt laudanda, imprudentia eſt vituperanda, & viciſsim. Hinc ſuademus & diſſuademus: vt ſi pax eſt expetenda, bellum eſt fugiendum. Hinc coniecturam facti explicamus: vt ſi ab homine ægro committi hoc facinus non potuit, commiſſum igitur ab altero eſt, qui firma erat valetudine. Hinc deſcriptiones ſumuntur: vt virtus eſt fuga vitiorum. Hinc quæſtio qualitatis ſoluitur: vt ſi honeſtū eſt continentem eſſe turpe erit incontinentem eſſe.

Relata, quorum vis & natura in comparatione poſita eſt.] Relata vocat Ariſtotel. in categorijs τὰ πρός τι, Cicero appellat ea quæ cum alio conferūtur, ea quæ comparantur, & Relata. hæc etiam tractantur bifariam, quemadmodum aduerſa & priuantia. nā aut duo cum vno comparantur: vt ſi paucitas eſt expetenda, multitudo non eſt expetenda, aut duo cū duobus: vt ſi magnitudo optanda eſt, paruitas eſt fugienda. ſi aliter tractentur relata, ad alios locos, non ad hunc pertinent: vt ſi pater eſt, procreauit filium, refertur ad cauſam efficientem & exemplum, quod affertur à Ramo ex oratione Ciceronis pro M. Marcello ad minora referendum eſt. Sic enim ait Cicero. ex quo profectò intelligi debet, quāta in dato beneficio ſit laus, cùm in accepto tanta ſit gloria. quaſi ita dicat: ſi is qui accepit beneficium, laudatur, quantò magis is qui cōtulit. A relatis laudamus & vituperamus: vt ſi ea ciuitas eſt laudanda, quæ paucorum voluntate regitur, ea certè vituperanda erit, quæ multitudinis

 imperio

Universidad de Deusto Biblioteca



imperio adminiſtrabitur. hinc ſuademus & diſſuademus: vt paucis contentum eſſe oportere, quia multitudo perturbationem affert. Hinc cõiecturam facti explicamus: vt hoc facinus à ſeruo committi non potuit, ab hero igitur commiſſum eſt. Hinc deſcriptiones ſumi poſſunt, ſed non multum elegantes: vt maius eſt, quod neq; eſt æquale, neq; minus. Hinc quæſtiones qualitatis ſoluũtur: vt ſi dominus, iure facit: ſi ſeruus, iniuria.

Priuantia, quæ priuationem & habitum rei declarant.] Priuantia hoc differunt ab aduerſis, quòd illa in eodem genere, hæc in eodem non contineantur: vt nox & dies. A relatis autem differunt, quia relata inter ſe referuntur. à negatione verò differt priuatio, quia negatio ſignificat id omne quod non eſt in re affirmata, priuatio tantùm quod non ineſt in ea re, quæ nata eſt ſuſcipere habitum. Hinc animalia ſola vocamus muta, aut ſurda, lapides non dicimus propriè mutos, aut ſurdos, ſed non loquentes, aut non audientes. à priuantibus laudamus & vituperamus: vt ſi ebrietas eſt vituperanda, ſobrietas eſt laudanda, & viciſsim. Hinc ſuademus & diſſuademus: vt ſi expetende diuitiæ, fugienda paupertas. Hinc coniecturam facti explicamus: vt ſi hoc facinus committi non potuit à cæco, commiſſum igitur fuit ab altero qui videbat. Hinc deſcriptiones ſumũtur: vt mors eſt priuatio vitæ. Hinc quæſtio qualitatis ſoluitur: vt ſi ſoli Domini honorantur, ſerui non ſunt honorandi.

Contradicentia, quorum vnũ ait, alterum negat.] Hæc



Hæc diffinitio ſic accipiẽda eſt, vt eadem res numero affirmetur & negetur. quare non eſt cõtradictio propriè quæ affertur ab interpretibus Ariſtot. per quam duæ enunciationes dicuntur ſubcontrariæ: nempè cum vtraque eſt in parte: vt quidam homo eſt iuſtus, quidam homo non eſt iuſtus, vtraq; enim vera eſt: illa de Ariſtide, hæc de Phalaride. Contradictio omnis aut fit in verbo tantùm, aut in enunciatione. contradicentia, quæ in verbo tantùm fiunt, vocantur ab Ariſtotele nomina finita & infinita: vt honeſtum, non honeſtum. infinita autem nomina rara admodum ſunt, vt in Cicerone vnum tantùm nomen rei infinitum reperitur, quod eſt non corpus: cætera ſunt appoſita: verbum autem infinitum extra enunciationem non eſt. nam verba extra enunciationem idem valent, quod nomina: vt docet Ariſt. in libro Perihermenias. at in enunciatione non differt à verbo negato, vt homo non currit. Porrò autem hæc cõtradictio ſimplex etſi extra enunciationem conſideratur, tamen in enũciatione tractanda eſt: vt ſi voluptatem eſſe laudandam verum eſt, voluptatem eſſe non laudandam falſum eſt. neq; verò exiſtimandum eſt contradictionem argumentum eſſe aſſumptum, quòd integræ enũciationes ſumantur. nam tantùm affertur ad argumentandũ argumentum ſumptum ex comparatione attributi: vt Socrates eſt Philoſophus, Socrates non eſt Philoſophus. Verbum enim ſubiectum vtrique enunciationi idem eſt, attributa ſolum repugnant. Contradictio autem quæ fit in enunciatione, aut ſimplex eſt, aut multiplex.

Universidad de Deusto
Biblioteca



multiplex. Simplex eſt, quæ ex enunciatis vno verbo
iunctis conſtat: quæ aut communis eſt, aut propria.
propria ex enuntiationibus proprijs conſtat: vt Socra
tes eſt iuſtus, Socrates non eſt iuſtus. Cõmunis cuius
alterum ſaltem enunciatum commune eſt: quæ aut eſt
generalis, aut ſpecialis. generalis eſt cum vtraq; pars
eſt vniuerſa: vt omnis homo eſt candidus, nullus homo
eſt candidus: quæ vocantur ab Ariſtotelicis contrariæ
enunciationes, à Cicerone aduerſæ. ſpecialis contra-
dictio eſt, cuius vna pars eſt vniuerſa, altera non: vt
omnis homo eſt candidus, quidam homo non eſt can-
didus. Multiplex contradictio eſt, quæ conſtat ex enũ
ciationibus iunctis multis verbis: cuius quatuor ſunt
formæ: connexa, diſiuncta, copulata, & relata. conne-
xa: vt ſi ſol lucet, dies eſt, non ſi ſol lucet, dies eſt.
Diſiuncta aut dies eſt, aut nox eſt, nõ aut dies eſt, aut
nox eſt. Copulata: vt & dies eſt, & ſol lucet ſupra
noſtrum Hemiſphærium, non & dies eſt, & ſol lucet
ſupra noſtrũ Hemiſphærium. relata: vt qualis vir, ta-
lis oratio, nõ qualis vir, talis oratio. De cõtradictione
multiplici nihil diſſeruit Ariſtot. ſed Theophraſtus,
& Eudemus ſocij illius. hæc contradictio hypotheti-
ca vocatur ab Ariſtotelicis: quæ ſimplex eſt, catego-
rica. Tractatio huius loci, quæ à Cicerone affertur,
falſa eſt: ſi hoc nõ eſt, illud eſt, aut ſi hoc eſt, illud nõ
eſt: vt ſi dies eſt, nox non eſt. nam omnis contradictio
eſt eiuſdẽ rei ſubiectæ: at in ijs diuerſæ res ſubiectæ
ſunt: quare emẽdandus eſt locus Ciceronis, vt voluit
Goueanus, hoc illud eſt, hoc illud nõ eſt, vt vtriuſque





partis eadẽ ſit res ſubiecta, & attributa, neq; hæc ta-
mẽ propria eſt tractatio cõtradicentiũ. ſed illa ſi volu
ptatẽ eſſe laudandã verũ eſt, voluptatẽ nõ eſſe laudan
dã falſum erit, & viciſsim q̃ tractatio nõ eſt expreſſa
à Ramo. exemplũ autẽ cõtradictionis ſimplicis, qđ af-
fertur à Ramo, falſum eſt. Nã ſic ait Cice. in Lucullo.
& quidẽ honeſtis ſimilia ſunt quædã non honeſta, &
bonis nõ bona, & artificioſis minimè artificioſa. quod
argumentũ ſumptũ eſt à ſimilitudine, non à cõtradi-
cẽtibus. nam cõparat inter ſe ſimilia cõtradicẽtia. neq;
mirum: cùm omnis comparatio tam ſpectetur in con-
ſentaneis, quàm in diſſentaneis, vt ſupra explicatum
eſt: cõtradictio itẽ ſubalterna, q̃ affertur à Peripate-
ticis nõ eſt cõtradictio: quia vtraq; pars ait: vt omnis
homo eſt iuſtus, aliquis homo eſt iuſtus: aut vtraque
negat, vt nullus homo eſt iuſtus, aliquis homo non eſt
iuſtus. à contradicentibus laudamus & vituperamus:
vt ſi falſum eſt non laudandam eſſe prudentiã, laudan
da erit prudentia. et ſi falſum eſt non vituperandam
eſſe imprudentiam, vituperanda erit. Hinc ſuademus
& diſſuademus: vt ſi literis ſtudendum non eſt, non
ſunt docendi ignari: hoc autem abſurdum: ergo literis
danda opera. Hinc coniecturam facti explicamus: vt
ſi ab illo homine nõ fuiſſe occiſum alterũ falſum eſt,
ab illo igitur cæſus fuit. Hinc quæſtio diffinitionis diſ
ſoluitur: vt ſi falſum eſt non eſſe eum ſacrilegum, qui
furtum rei ſacræ fecerit, verùm eſt eum eſſe ſacrile-
gum, qui furtũ rei ſacræ fecerit. Hinc ſoluimus quæ-
ſtionem qualitatis: vt ſi non fuiſſe iurè cæſum Clo-

Universidad de Deusto Biblioteca



*diũ à Milone falſum eſt, iurè ergo occidit Milo Clodiũ. Cõtradictionis ea vis & natura eſt, vt ambæ partes ſimul veræ eſſe non poßint: quod axioma verißimũ eſſe docet Ariſt. 4. Metaphyſico. Contradictionis vniuerſæ ambæ partes falſæ eſſe poßũt in materia fortuita: vt omnis homo eſt cãdidus, nullus homo eſt candidus. Contradictonis autẽ propriæ, quæ in rebus fortuitis fit, etſi alterutrã partem verã eſſe neceſſe eſt, vtra tamẽ futura ſit à nobis ignoratur: vt Ariſt. leget cras, Ariſt. nõ leget cras: euentus rei verã partem indicat. Huius loci cõtradicentiũ vſus maximus eſt in cõtẽtione et ſtatu totius orationis: idq́; vtilißimũ eſt noſſe ſtatũ cuiuſq; orationis: vt in laudatione Cice. eſt laudandus, Cic. nõ eſt laudandus: & in deliberatione hoc ſtudiũ eſt vtile, hoc ſtudium nõ eſt vtile: & in coniectura. Roſcius occidit patrem, Roſcius non occidit patrem: & in diffinitione Archias eſt ciuis Romanus, Archias non eſt ciuis Romanus: & in quæſtione qualitatis Milo iurè occidit Clodiũ, Milo non occidit iurè Clodium. Hoc argumento leuitatem hominum & inconſtantiam reprehendimus, cum dicimus aliquem contradicentia ſibi loqui, & ſentire.*

*Repugnantia quorũ vnũ multis eadẽ lege pugnat.*] *Hæc etſi in contextu prius expreſſa ſunt, in hunc tamen locum differenda fuerunt, quòd ſint infirmiora contrarijs. Hinc laudamus & vituperamus: vt ſi tyranni facta non defendis, tyrannicidam laudas: ſi defendis, vituperas. Hinc ſuademus & diſſuademus, quæ cum quis habet miſerrimus eſt ea non ſunt expetenda:*

petenda:



*petenda: talia autem ſunt bona fortunæ: quare non ſunt expetenda. Hinc coniecturam facti explicamus: ſi tres deprehenſi ſunt in furto, hic autem non fecit furtum, neq; ille, tertius ergo fecit. Hinc deſcriptiones præſertim earum rerũ, quæ ignorantur quid ſint qualis illa Ariſt. 10. Metaph. materia eſt, quæ non eſt ſubſtantia, nec quantitas, neq; aliud, ſed omnium ſubiectũ. Hinc ſoluimus quæſtionem qualitatis: vt accipis vt taceas, nõ facis igitur gratis. Diſſentaneorũ in cõmune hic eſt vſus, vt cũ deſunt conſentanea, proximè his vtamur: vt hic homo quieſcit, non igitur de loco in locũ mouetur. Hoc autem intereſt inter conſentanea & diſſentanea, quòd illa ad docendum magis accommodata ſunt, hæc ad vincendũ & commouendũ, præſertim repugnantem hominem, et peruicacẽ. Itaq; frequenter adhibentur in obiurgationibus, & defenſionibus vt dicis te omnia noſſe, & nihil noſti? Porrò autem cũ cõcluſio negans eſt, & ſumptio aliqua ait, aut vicißim argumẽtũ ſemper ducitur ex diſſentaneis atq; hæc de ſimplicibus argumentis.*

*Cõparata quæ inter ſe cõferũtur.*] *Cõparata q̃ ſint nõ tã intelligitur ex diffinitione gñali, quã ex diuiſione cõparatorũ, q̃ ſumitur ex rebus ſubiectis ſcd̃i gñeris hoc modo. Oĩa q̃ cõparãtur, aut cõferũtur in quãtitate, aut in qualitate. Quãtitatẽ appello nõ ſecũdã cagoteriã, ſed æqualitatẽ, aut inæqualitatẽ tã in cauſis, quã in effectis, aut affectione rei. Qualitatẽ item appello nõ quartã ſolũ categoriã, ſed ſimilitudinẽ, aut diſsimilitudinẽ cuiuſcunq; rei ſiue ea qualitatis ſit, ſi-*

ue

Universidad de Deusto
Biblioteca



ue cauſarũ, ſiue effectuũ, ſiue alterius rei. Cõparatio quãtitatis aut eſt par, aut impar: impar, aut maior, aut minor. Cõparatio qualitatis, aut ſimilis, aut diſsimilis. Quare quinq; genera comparationũ ſunt. Paria ſunt cum ex re pari parem colligimus. Huius comparationis vt reliquarum ſpecies veræ nullæ ſunt, ſed modi tantùm quidam. Qui tres ſunt: primus, cum nulla exprimitur nota comparationis: vt quando ego tuum non curo, tu ne cura meum. Secundus, cum exprimitur aliqua nota comparationis parium cùm gradibus cõparationis Grammaticæ. notæ comparationis parium ſunt: talis, qualis, tantus, quantus, tam, quam, tanto, quanto, & quæ his ſimiles fuerint. Gradus Grammaticos voco poſitionis, comparationis, ſuperlationis: vt tantò eloquentior eſt Cicero reliquis Latinis ſcriptoribus, quantò Demoſthenes cæteris Græcis eſt facundior. Tertius modus eſt cùm exprimuntur notæ comparationis parium ſine gradibus Grammaticis, quales notæ ſunt tot, & quot, par, æqualis: vt tot ſunt genera quæſtionum, quot ſunt earum rerum, quæ ſciuntur. Quartus modus, qui affertur à Ramo alienus eſt ab hoc loco. nam quæſtio comparationis eſt argumentũ tamen aliunde ſumptum: vt ſi quis probet parem eſſe laudem literarum & militiæ, quia viris doctis conceduntur magiſtratus nõ minus, quàm ſtrenuis ducibus. hic quæſtio comparationis eſt, argumentum autem ſumitur ex adiunctis, quæ circunſtant. Quare cùm propoſitum ſit non de quæſtionum generibus, ſed argumentorum diſputare, cumq; quæſtio comparationis

ex



ex omnibus locis explicari poſsit, quemadmodũ quæſtio ſimplex, efficitur profectò vt hic quartus modus meritò à nobis reijciatur. quẽadmodũ non ſolũ adhibuit Ramus in cõparatiõe pariũ, verũ etiã in quatuor reliquis generibus cõparationũ, ſecutus, vt credo, errorẽ M.T.Cice. in Topicis: q explicando loco cõparatorũ multa colligit argumẽta ex.3.Topico Ariſt. quæ argumẽta non ſunt, ſed quæſtiones cõparationũ: quale illud eſt ſi quis probet rem vnam meliorem eſſe altera, quia vna artificioſa eſt, altera non artificioſa. quod argumentum ab adiunctis diſſentaneis deſumptum eſt. Cicero certè admoneri potuit ab Ariſtotele, quem ſibi ſequendum propoſuerat. nam Ariſtote. diſtinguit problemata à locis primo Topico: vnum autem genus problematis eſt in comparatione poſitũ, ad quod confirmandum aut refutandum recenſet. 75. genera argumentorum, quæ omnia à comparatione diſtingũtur, qualia ſunt à genere, à ſubiecto, à cauſis, à diffinitione. Ex hoc loco laudamus: vt tam eſt laudanda Rhetorica, quàm Dialectica: illa autem laudãda: hæc igitur eſt laudanda. Sic vituperamus: quantò rex maior eſt ſubditis, tantò vitium illius magis reprehendendum eſt. Hinc ſuademus, & diſſuademus: vt tam eſt expetenda temperantia, quàm fortitudo: hæc autem expetenda: illa igitur. Hinc coniecturam facti explicamus: vt qui ob rem iudicandam pecuniam accepit, & ob dicendum falſum teſtimonium accipiet. Hinc quæſtio diffinitionis explicatur: vt ſi abſtinentia virtus, & continentia. Hinc quæſtio qualitatis

ſoluitur:

Universidad de Deusto
Biblioteca



ſoluitur: vt quæ pœna aduerſus interfectorem patris
iuſta eſt, eadem aduerſus interfectorem matris iuſta
erit. Paria non ſemper referuntur inter ſe diſputādo,
ſed aliquando repugnando: quale illud eſt exemplum
in Eclogis Damœtæ & Menalcæ, qui concertant pa-
ribus inter ſe ænigmatis propoſitis.

Maiora: vt magiſter, & diſcipulus.] Maiora ita
tractantur, vt ex maioribas minora diſputentur. Neq;
verò hoc ſemper genus tractationis cum negatione
exprimendum eſt, ſed aliquādo affirmatè, etſi ſemper
ſententia negatione declarari poßit: vt Cicero debet
amicis mediocriter conſulere, cùm Sulpitius vel ini-
micis abundantißimè conſulat: quaſi ita dicas, ſi qui-
bus conſulere non licet cum conſulit Sulpitius, nō re-
prehenditur, neq; Cicero reprehendendus eſt, qui ami-
cis conſulit. Maiorum duo ſunt modi: vnus cum nulla
exprimitur nota comparationis, vt decem viri aliquid
audebunt concupiſcere, quia terrarum orbis eorū cu-
piditati non ſufficit: alter cùm exprimuntur notæ cō-
parationis: quales ſunt non ſolum, ſed etiam, cum, tū,
& ſi quæ aliæ his ſimiles: vt non ſolum tollitur è me-
dio verboſa ſimulatio prudentiæ, ſed etiam ſapiētia.
Ex hoc loco laudamus & vituperamus: vt ſi magiſter
artis Magicæ non eſt laudandus, multò minus diſcipu-
lus erit laudandus. Hinc ſuademus & diſſuademus: vt
non potuit prælium committi cum quadraginta trire-
mibus, & committetur poſtea cum claſſe viginti tri-
remium? Hinc explicamus coniecturam facti: vt ſi quis
ſacrilegium facit, faciet & furtum. Hinc quæſtio de-
finitio-



finitionis explicatur: vt ſi robur corporibus bonum
non eſt, minus ſanitas. Hinc quæſtio qualitatis ſolui-
tur: ſi adulterum occidere licet, & loris cædere.
Ex hoc loco ſunt quædam gradationes oratoriæ: qua-
lis illa Ciceronis pro Milone. Neque verò ſe populo
ſolum, ſed etiam ſenatui tradidit, neq; ſenatui modo,
ſed etiam publicis præſidijs & armis, neq; his tātùm,
verum etiam eius poteſtati, cui Senatus totam Rem-
pub. omnem Italiæ pubem, cuncta populi Romani ar-
ma commiſerat. In hac gradatione à minoribus ad ma-
iora progreditur Cicero. ſed vis argumenti contra-
ria eſt à maioribus ad minora. nam in hac tractatione
maiorum, ſemper hæc pars (nō ſolum) continet quæ-
ſtionem, altera verò (ſed etiam) continet argumentū:
quaſi ita tractetur primum argumentum ſuperioris
gradationis, qui ſe tradidit Senatui tradet etiā popu-
lo. Exemplū huius loci falſum legitur. 2. oratorio Cice-
ronis ad Q. Fratrem. Si bona exiſtimatio diuitijs præ-
ſtat, & pecunia tantopere expetitur, quantò gloria
magis eſt expetēda: eſt enim à minori argumētū: qa ex
duobus minoribus tertiū maius cōcluditur, quaſi ita
dicat, ſi bona fama & pecunia, quæ minora bona ſunt,
tantopere expetuntur, quanto magis gloria.

Minora: vt diſcipulus & magiſter.] Minora ita tra-
ctātur, vt ex ijs maiora demonſtrentur: quæ affirmatè
ferè tractantur. Minorū duo ſunt modi: vnus cū nulla
exprimitur nota comparationis: quale illud eſt.
Hiſtrio, quid deceat, quærit, non idem faciet orator?
Alter cùm exprimitur aliqua nota comparationis.

Notæ

Universidad de Deusto Biblioteca

Notæ autem comparationis minorum ſunt: nomina comparationis, quæ à Grammaticis comparatiua nominantur, verbum malo, præpoſitio præ, tantùm abeſt vt, & ſi quæ aliæ idem valent: vt tantũ abeſt vt Cæſar perfecerit rempublicam, vt fundamenta nondum iecerit. Ex hoc loco laudamus & vituperamus: vt multi fuerunt oratores Romani præſtantiſſimi, ſed Cicero omnibus præſtantior. Hinc ſuademus & diſſuademus: vt ſerui iniuſta imperia dominorum non perferunt, vos quirites ſeruitutem toleratis. Hinc coniecturam facti explicamus: vt qui facilè ac palam mentitur, peierabit. Hinc deſcriptiones ſumũtur: qualis illa Philoſophiæ: ars artium, & ſcientia ſcientiarum, quaſi præſtabilior ſit cæteris artibus, & ſcientijs. Hinc quæſtiones qualitatis ſoluuntur: vt ſi furem nocturnum occidere licet, quid latronem? Hinc hyperbolæ ducuntur: vt ante cerui paſcentur in æthere, quàm nomen tuum excidat, id eſt, cum fieri non poſſit, vt cerui paſcantur in æthere, facilius tamen id fiet, quàm vt tui obliuiſcar. Hinc pleræque amplificationes oratoriæ: qualis illa Ciceronis. Facinus eſt vincire ciuem Romanum: ſcelus verberare: propè parricidium necare: quid dicam in crucem tollere? aſcendimus enim à minoribus ad maiora. Hinc extenuationes oratoriæ: vt illa Ciceronis, nemo non modo Romæ, ſed ne vllo in angulo totius Italiæ oppreſſus ære alieno fuit, quẽ non ad hoc incredibile ſceleris fœdus aſciuerit.

Similia vt ſomnus & mors.] Similia dicuntur, quæ in eadem qualitate comparantur. Inter comparatio-





nem autem qualitatis, & quantitatis illud intereſt, quòd in comparatione quantitatis duæ aut plures res conferuntur cum eadem re tertia, in comparatione autem qualitatis duæ cum duabus, aut tres cum tribus, et ita deinceps comparentur: vt in hoc argumento à pari, tam debetur honos patri, quàm matri, comparantur pater & mater in honore. In hac autem ſimilitudine, quemadmodum oculus dirigit corpus, ſic mens animi perturbationes moderatur, comparantur duæ res cum duabus: oculus cum corpore, & mens cum perturbationibus animi. quæ ſimilitudo ab Euclide libro quinto ἀναλογία vocatur, à Cicerone in libello de vniuerſitate proportio, à barbaris proportionalitas. Hæc etſi aliquando fit in terminis imparibus, vnus tamen pro duobus ponitur: vt quam rationem habet animal ad hominem, eandem habet homo ad Socratem: homo comparatur cum animali, vt ſpecies, cum Socrate tanquam genus. Ex hoc diſcrimine parium & ſimilium exempla falſa eſſe colliguntur, quæ leguntur in Topicis Ciceronis. Si tutor fidem præſtare debet, ſi ſocius, ſi cui mandaris, ſi qui fiduciam acceperit, debet etiam procurator. & illud etiam quod confitetur Cicero fieri cum res par pari comparatur: quemadmodum ſi in vrbe de finibus controuerſia eſt, quia fines magis agrorum videntur eſſe, quàm vrbis finibus regundis adigere arbitrum non poſſis, ſic ſi aqua pluuia in vrbe nocet quoniã res tota magis agrorũ eſt, aquæ pluuiæ arcendæ adigere non poſſis arbitrum. exempla item quibus ſcribit Cicero vſum fuiſſe Craſſum

Universidad de Deusto
Biblioteca



In cauſa Curiana ad locum partium referuntur: quia omnia in eadem re comparantur. & illud Quintiliani libro quinto. Si continentia eſt virtus, vtiq; & abſtinentia: quod argumentum repetit imprudens in exemplis à pari, præterquam quòd inuertit ordinem verborum, qui ad diſtinguendos hos locos nihil efficit. Sic & exempla quæ afferuntur à Ramo, de Aſpaſia & Xenophonte non ſunt ſimilitudines, ſed à pari ducuntur. Verum locum ſimilitudinis & Cicero & Quintilianus nuſquã expreſſerunt. Similitudinis duo ſunt modi: vnus ſine nota, alter cum exprimitur nota. ſine nota: vt virtus adiantum, quaſi dicas, quemadmodum adiantum, etſi multitudine aquarum obruatur, non madeſcit, cum in aqua creſcat, & nutriatur, ſic virtus, etſi opprimatur fluctibus vitiorum, ſemper tamen reſiſtit. Alter modus cum exprimitur nota ſimilitudinis: quales notæ ſunt vt, quemadmodum, ſicut, veluti in prima parte, quæ dicitur protaſis: & ſic, ita, non ſecus, in altera parte, quæ dicitur apodoſis, ſeu redditio: vt quemadmodũ vaſcula oris anguſti ſuperfuſam humoris copiam reſpuunt, ſenſim autem inſtillantibus replẽtur, ſic tenera puerorum ingenia grandia non percipiunt, modica & ſuis viribus apta commodius addiſcunt. Sunt & aliæ notæ ſimilitudinis: vt more, inſtar, ritu, quaſi, tanquam. A ſimili laudamus & vituperamus: vt quemadmodum agricolæ laudantur, qui aßiduo labore terram colũt, ſic laudandi ſunt magiſtri, qui aßidua exercitatione auditorum animos inſtituunt. Hinc ſuademus & diſſuademus: vt quem-





admodum gubernatori tenendus rectus clauus ſemper eſt, ne nauis faciat naufragium, ſic magiſtratui administranda benè Reſpubli. eſt, ne illius ſtatus labefactetur. Hinc explicamus coniecturam facti: vt quemadmodum Clodius ſtruxit inſidias Miloni propter ſpem impunitatis, ſic Catilina oppreßit Rempub. propter ſpem impunitatis. Hinc diffinitiones ſumuntur: vt ſomnus eſt imago mortis. Hinc quæſtiones qualitatis ſoluuntur: vt quemadmodũ licuit Miloni occidere Clodiũ inſidiatorẽ, ſic Ciceroni licuit Catilinã vexare labefactantem ſtatũ Reipu. Huius loci exemplum falſum legitur. 2. Oratorio ad Q. Fratrem: ſi feræ diligunt partus ſuos, qua nos in liberos noſtros indulgẽtia eſſe debemus? quum ſit argumentum à minori ad maius.

Dißimilia: vt homo, & equus.] Dißimilia ſunt, quæ in dißimili qualitate comparantur: quæ vocantur à Cicerone interdum differẽtiæ. Dißimilium duo ſunt modi: vnus in quo nullæ exprimuntur notæ dißimilitudinis, alter in quo exprimitur aliqua nota. exẽplum primi modi tale eſt. Nundinarum certus dies expectatur, cõſilij nõ. Notæ dißimilitudinis ſunt non quemadmodum, non ſicut, non vt, quæ adhibentur in protaſi dißimilitudinis: at verò, verum, & ſi quæ aliæ eiuſmodi, quæ adhibẽtur in redditione: vt non quemadmodum qui diſſoluit pecuniam, cum diſſoluit, nõ habet, ſic qui refert gratiam, non habet gratiam, ſed habet in hoc ipſo, quod refert. Sunt & aliæ notæ dißimilitudinis: vt dißimile, aliud, differens, non ſed, vt nõ

Universidad de Deusto Biblioteca



erat formoſus, ſed doctus Ariſtoteles. Diſsimilia hoc differunt à diſſentaneis, quòd in diſſentaneis non ſolum vnũ ab altero diſtinguitur, verum etiam tollitur: vt non eſt candidus: ergo niger, in diſsimilibus diſtinguitur vnum ab altero, non tollitur tamen, ſed indicatur ex vno contrario alterum: vt quamuis ille niger, quamuis tu candidus eſſes, à diſsimili laudamus & vituperamus: vt qui non habet gloriam communem cum multis, ſed totam ſuam, hic eſt laudandus: Cæſar autem, gloriam clementiæ propter reſtitutum Marcellũ non habet communem cum multis, ſed totam ſuam: ergo Cæſar eſt laudandus. Hinc ſuademus & diſſuademus: vt ſi Barbarorum eſt in diem viuere, noſtra conſilia ſempiternum tempus expectare debent. Hinc cõiecturam facti explicamus: vt qui ſolus acceſsit, non cum alijs, is non commiſit facinus. Hinc quæſtio diffinitionis diſſoluitur: vt ſacrilegus eſt, nõ qui res quaſuis, ſed qui ſacras, neque ex quouis loco, ſed ex ſacro ſurripuit. hinc quæſtio qualitatis ſoluitur: vt licet adulterum domi deprehenſum occidere. nam aliud eſt domi, aliud in via deprehenſum fuiſſe. exempla huius loci, quæ leguntur in Fabio Quintiliano libro quinto non tam argumenta ſunt diſsimilia, quàm quæſtiones diſsimiles. quale illud eſt: non ſi lætitia bonum, & voluptas. Tertius item modus diſsimilium, qui affertur à Ramo non eſt proprius huius loci. quia in eo exẽplo, quod affert ex Cicerone, Cicero non argumentatur à diſsimili, ſed à minori ad maius: vt non furem, ſed ereptorem. nam ereptorem eſſe maius eſt, quàm furem.





ad hunc locum pertinent omnia Antitheta Rhetorum: qualia illa ſunt Cicer. pro Milone. eſt enim iudices nõ ſcripta, ſed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus, ſed ex ipſa natura arripuimus, hauſimus expreſsimus, ad quam non docti, ſed facti: non inſtituti, ſed imbuti ſumus. miſcetur aliquando diſsimilitudo ironiæ: vt Cicero in Piſonem grauis autem Calatinus, credo, aliquis, aut Africanus, aut Maximus, & non Ceſonius, Semiplacentinus Caluentius. Valet etiam plurimum diſsimilitudo ad res finitimas diſtinguendas: vt illud Horatij. vitaui denique culpam, non laudem merui. ad hunc locum referendæ ſunt orationes vinctæ coniunctionibus aduerſantibus etſi, quanquam, tamen, quibus delectatur vehementer Cicero initio librorum, orationum, & epiſtolarum. Vt initio officiorum, quanquam te Marce fili annum iam audientem Cratippum, idq; Athenis, & quæ ſequuntur. exempla argumenta ſunt, quibus factum alicuius, aut dictum ſignificamus, cuius imitatione aliquid faciendum ſit. Hæc communia ſunt omnium comparationum: vt à pari: ſi licuit hoc tibi, & mihi licebit. à maiori: non potuiſſet Hercules reſiſtere duobus, reſiſtes tu? à minori P. Scipio priuatus Ti. Gracchum mediocriter labefactantem ſtatum reipub. occidit: nos conſules perferemus Catilinam orbem terrarum vaſtare cupientem? à ſimili quemadmodum Milo occidit iurè Clodium, inſidiatorem, ſic iurè Saturninus occiſus eſt ob ſeditionem. à diſsimili. Marcellus ornamenta hoſtibus Syracuſanis reſtituit,

Universidad de Deusto
Biblioteca



Verres eadē ſocijs Syracuſanis ademit. exempla, quæ afferuntur ad aliquod generale illuſtrandum, ad diuiſionem pertinent. Comparationum maximus vſus eſt in omni diſputatione, ſed comparatio quantitatis plus valet ad cōmouendos auditores, præſertim plæbeios, comparatio verò qualitatis plus valet ad docendum & illuſtrādum. ſimilitudines frequenter adhibentur à Platone in Dialogis: quibus etiam multum vtuntur mathematici: vt Euclides qui librū ſecūdum & ſextum in his explicandis conſumpſit. atq; hæc de argumentis rei.

Argumenta à nomine, aut ſunt notationes, aut cōiugata.] Expoſitis argumentis rei, de argumentis à nomine diſſerēdum fuit: quæ ſunt aut notationes, aut coniugata. Notatio græcè dicitur ἐτυμολογία, Latinè ad verbum veriloquium: Cicero notationem vocat, quia nomina ſunt rerum notæ. alij originationem appellāt, quia explicat originem nominū. De hac multa diſſeruit Plato eruditè in Cratylo diſputans nomina non eſſe facta rebus temerè, ſed cum ratione & conſilio: non quod exiſtimet nomina opera eſſe ſolius naturæ, quod multi falſo tribuunt Platoni, ſed quòd putet ea nomina natura ſignificare, quæ ex proprietate aliqua rebus ſint impoſita. Sunt multa quidem argumenta ab Etymologia leuia & incerta, ſed cùm alijs adiunguntur, orationem ornant & augent. à Notatione laudamus & vituperamus: vt laudandum eſſe Senatum Romanum, quia à ſenibus prudentiſſimis appellatum eſt: vituperandus eſt Bambalio quod ſatis





vel nomē ipſum declarat ab hæſitātia linguæ & ſtupore cordis factū. Hinc ſuademus & diſſuademus: vt Philopono laborādū eſſe, qđ ſtudioſus laboris appelletur. Hinc coniecturā facti ornamus: vt non debet mirū videri à Verre factum fuiſſe furtum, quia omnia ſolitus eſt Verrere, ex quo nomen ſibi fecit. Hinc deſcriptiones ſumuntur: vt Philoſophia eſt ſtudium ſapientiæ. Hinc quæſtio qualitatis diſſoluitur: vt Lyſidicus nō fecit hoc iurè neq; mirū. nā vocatus eſt Lyſidicus, qđ iura diſſolueret. Notatio ad iocādū plurimū valet: vt Cicero Verrem ludit, cū eū fingit dictū eſſe partim à verrendo, partim à verre, id eſt, porco nō caſtrato.

Coniugata, quæ ab eodem principio orta variè cōmutātur.] Coniugata vocat Ariſto. initio categoriarum Paranyma, in Topicis diſtinguit cōiugata à caſibus, ita vt coniugata nomina ſint, vt ſapiens, ſapientia, caſus verò aduerbia vt ſapienter: ſed hæc diſtinctio vel ab ipſo Ariſtote. non ſeruatur. Quintili coniugata irridet, quod non egeant probatione: quaſi verò argumentum non ſit eò firmius, quò minus eget probatione. Porrò coniugata hòc differunt à Notatione, quod in hac argumentamur à vi verbi, in illis verò ex rebus ſubiectis & adiunctis. à coniugatis laudamus aut vituperamus, vt ſi laudanda iuſtitia, laudandus Ariſtides qui iuſtus fuit. Hinc ſuademus & diſſuademus: vt ſi Philoſophiæ ſtudendum, Philoſophi ſequendi. Hinc coniecturam facti explicamus: vt ſi adulter eſt, adulterium commiſit. Hinc deſcriptiones ſumuntur: vt iuſtitia virtus eſt à qua iuſti nomi-

ſtamur. Hinc quæſtio qualitatis diſſoluitur: vt ſi compaſcuus eſt ager, compaſcere licet. Hinc ioci multi & Paronomaſiæ: qualis ille iocus Ciceronis in Verrem: qui non tam rationem cœli, quàm cælati argenti duceret. atq; hæc de argumentis à nomine, & locis ſimplicibus.

Qui duo ſunt diuiſio, & diffinitio.] Hactenus argumenta ſimplicia à nobis expoſita ſunt, ſequitur vt de argumentis coniunctis diſſeramus: quæ duo ſunt diuiſio, & diffinitio. Diuiſio prior eſt diffinitione ordine naturæ, quia ad inueniendam diffinitionem afferenda primum diuiſio generis eſt, ex qua differentiæ colligantur. in methodo autem diffiniendi diffinitio præcedit diuiſionem. nam primū explicãdum eſt quid quæq; res ſit, deinde eadem res in formas diuidenda eſt. in ordine autem locorum explicando præponitur neceſſario diuiſio diffinitioni: quia multæ diffinitiones ex diuiſione ſumuntur. Diuiſionum quatuor tantùm genera afferuntur à nobis in contextu ex quatuor generibus conſentaneorum: quia ex reliquis locis nulla ducitur diuiſio: vt ex diſſentaneis, aut comparatis. quanquam partes diuiſionis diſſentaneis argumentis, & comparatis tractari poſſint. Trifariam enim à partibus & re tota argumentamur. Primò à partibus ad partes cum qualitate diſsimili: vt ſi animal eſt aut homo, aut belua: nō homo: belua igitur. hoc argumentum à diſſentaneis eſt. quamobrem falſum eſt exemplum Ciceronis ſecundo oratorio, argumenti à partitione: aut ſenatui parendum de ſalute





Reipub. fuit: aut aliud cõſilium inſtituendum: aut ſua ſponte faciendum. aliud conſilium ſuperbum: ſuum arrogans: vtendum igitur fuit conſilio Senatus. hoc argumentum apertè tractatur à diſſentaneis: quia duobus generibus conſiliorum ſublatis, tertium ponitur. deinde ex partibus ad partes argumentamur cū qualitate ſimili: quod genus argumenti à pari ducitur. vt tam eſt laudanda Logica, quàm Rhetorica. Tertiò argumentamur à partibus ad totum, aut viciſsim: id'que affirmatè, aut cum negatione: quæ ſola tractatio propria eſt huius loci. à partibus affirmatè: vt ſi homo & belua ſentiunt, omne animal ſentit. cum negatione: vt ſi neq; homo, neq; belua carent animo, nullum animal carebit animo. à toto affirmatè: vt ſi totum corpus dolet, & caput. ab eodem cum negatione: ſi totus homo non dolet, neq; caput. quare, vt eo vnde digreſsi ſumus, reuertamur. Diuiſio etiam non ducitur à nomine. nam cum diſtinguitur nomen in ſuas ſignificationes, aut diſtinguitur ſolum nomē ſine ſignificatione, quod inutile eſt, aut per ſe ſignificationem, quæ, quia communis non eſt, nihil valet ad diuidendum. Præterea ſi diſtinctio nominis in ſuas ſignificationes, eſt diuiſio, contraria etiam huic erit altera diuiſio, qua res ſignificata in ſua nomina diuidetur, vt cum eadem res diuerſis nominibus appellatur: hæc autem diuiſio non eſt: quare neque illa diuiſio erit, ſed enumeratio potius quædam ſignificationum. neque ducuntur diuiſiones ex diffinitione, neque ex autoritate, quod ſatis perſpicuum eſt.



Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca



Primũm ex cauſis.] Diuiſionum genera à partibus nomen accipiunt, non à toto: quia totũ vnum eſt, ratione autem partium diuiditur. ſic diuiſio à cauſis nominatur, cum partes diuidentes cauſæ ſunt, id autem quod diuiditur effectum eſt: de quibus partibus ſi totum nõ effertur, propriè partitio dicitur. vt cũ homo diuiditur in caput, pedes, & reliquas partes, caput tamen nõ dicimus hominem eſſe: quanquam in his partibus, de quibus totum non effertur, diſsimilitudo quædã ineſt. nã aliæ appellantur nomine totius quæ vocantur à Græcis ὁμογενᾶς: vt pars aquæ appellatur, aqua, non tamen ea aqua, cuius eſt pars. alijs planè non conuenit nomen totius, quæ appellantur à Græcis ἑτερογενᾶς: vt caput, de quo nomen animalis non effertur. Porrò diuiſio à cauſis aut ducitur à fine: vt homines alij nati ſunt ad cõtemplandũ, alij ad agẽdum. à forma duci non poteſt, quia forma vna eſt, & ferè quæ ſit, ignoratur. à cauſis efficiẽtibus: vt facultas cõparatur natura, arte, & exercitatione à materia: vt domus cõſtat cæmẽtis, lateribus, lapidibus, & lignis. à diuiſiõe cauſarũ laudamus & vituperamus: vt laudamus hominẽ à corpore, & aĩo cõpote ratiõis. Hinc ſuademus et diſſuademus: vt ei q̃ velit parare facultatẽ diſputãdi, ſuademus vt præter naturalẽ vsũ diſputãdi, præcepta artis diſcat, et diu multũq; exerceat. hinc coniecturã facti explicamus: vt q̃ caruit ære, ferro, & argẽto, nõ adulterauit nũmos. Hinc diffinitiones ſumũtur: vt facultas eſt cognitio perfecta, quæ natura, arte, & exercitatione cõparatur. hinc quæſtio qualitatis diſſoluitur:

tur:



tur: vt ſi neq; hoĩes natos ad cõtemplandũ, neq; ad agendũ occidere licet, nullũ igitur hoĩem licebit occidere. Hinc diuiſiones operũ & orationũ ſumũtur: vt cũ Cicero partitur orationẽ pro lege Manilia in tres partes: primã de genere belli, ſecundam de belli magnitudine, tertiam de eligendo imperatore.

Secundũ ex effectis.] Ad hanc diuiſionẽ ab effectis refertur diuiſio generũ in ſpecies et in differẽtias. nã genus omne cauſa formarũ eſt: quod ſatis declarat demonſtratio. nam cum demonſtratio ducatur ex cauſis eius autẽ argumẽtũ ſit diffinitio, quæ cõſtat ex genere, & differẽtia, efficitur profectò vt genus & differentiæ cauſæ ſint rei diffinitæ, ſpecies autẽ, q̃ diffinitur, ſit effectũ. genus diffinitur ab Ariſ. 1. Topico, q̃d dicitur de multis differẽtibus ſpecie in quæſtione q̃d eſt. quæ deſcriptio non explicat q̃d genus ſit, ſed quæ ſit proprietas illi adiũcta: adiũgitur enim generi, quia commune eſt multis formis, vt interroganti quid eæ ſint, appoſitè reſpõdeatur: accidit etiã generi reſponderi: quia interrogare & reſpondere in hominũ voluntate poſita ſunt. ſed diffiniuit fortaſſe Ariſtotel. ita genus, quia propoſuerat ſibi in Topicis Dialecticam ſolum docere, quæ poſita eſt in interrogando & reſpondẽdo. quare præſtabilior erit hæc diffinitio generis ex natura illius deſumpta: genus eſt notio communis, quæ plures formas ſui ſimiles complectitur: vt animal hominem & equum. Notionem autem communem interpretor vniuerſum, quod innuit Ariſtote. in Categorijs, cum enumerat quatuor

genera

Universidad de Deusto
Biblioteca



genera rerum ſubſtantias vniuerſas, accidentia vniuerſa, ſubſtãtias ſingulares, accidentia ſingularia. ſpecies eſt pars ſubiecta generi: hæc diffinitio colligitur ex Ciuili Platonis, inquo ſcribit Plato nõ omnem partem ſpeciem eſſe, ſed viciſsim omnẽ ſpeciem eſſe partem. ſpecies autem pars alterius eſſe non poteſt, quàm generis: vt ait Porphyrius extremo capit. de ſpecie. hanc diffinitionem approbat ſatis Ariſtot. primo Topico, cum ſpeciem non enumerat in attributis Topicis, quaſi declaret ex ſua ſententia ſpeciem non appellari cum attribuitur, ſed cum ſubiecta alteri eſt, quod ſi attribuatur, à genere nõ differt. Nam ijſdẽ locis quibus confirmatur aut refutatur quæſtio generis ijſdem confirmatur et refutatur quæſtio ſpeciei. item cum ait Ariſt. ſolius ſpeciei diffinitionem eſſe, confirmat hanc noſtram diffinitionem. neq; enim aliter diffinitur ſpecies, niſi tanquam pars ſubiecta generi: quare vel ſi genera diffiniantur, nõ dicuntur diffiniri niſi hoc ipſo quod ſpecies ſunt. Porphyrius etiã cõfirmat noſtrã diffinitionẽ, cum facit genus & ſpeciẽ relata: ſpecies enim ita refertur ad genus, ſi pars generi ſubiecta dicatur. Cõmunis quoq; ſentiendi & loquẽdi cõſenſus noſtram ſententiam comprobat. nam ſi tres exempli cauſa aurifices diſceptent de gẽma aliqua, quæſtio ab ijs ponitur. cuius ſpeciei gemmarum ſit: quaſi ſpeciem nominent quandam partem ſubiectam generi gemmarum. ex qua diffinitione perſpicuum efficitur res ſingulas ſpecies eſſe vniuerſarum, & formas cõparatas cum rebus ſingulis genera potius eſſe, quàm

formas



formas: quod ſi occurras, genus dicitur de ijs, quæ differunt ſpecie, aut numero, ſpecies verò tantùm de ijs, quæ differunt numero, ergo fieri nulla planè ratione poteſt, vt ſpecies generis nomine appelletur. reſpondeo ſi hæc ſola diſsimilitudo ſit generis & ſpeciei, quæ affertur, nihil aliud intereſſe inter genus & ſpeciem, quàm quod genus de pluribus, ſpecies de paucioribus dicatur. quæ diſsimilitudo non mutat naturã rei: vt multitudo & paucitas hominum non mutat eſſentiam hominis. quod ſi denuo vrgeas, non eſſe hãc ſolã diſsimilitudinẽ generis & ſpeciei, ſed illud addẽdũ eſſe, quod genus de differẽtibus ſpecie dicatur, ſpecies de differentibus numero, iſto pacto cum differentia & proprium generis dicantur de differentibus ſpecie, aut numero, differẽtia autem & proprium vltimæ ſpeciei enuncientur de differentibus tantùm numero, efficietur profectò vt duo alia attributa diuerſa à quinq; vocibus Porphyrij addantur: quod abſurdum eſſe omnes Ariſtotelici confitentur. quare ſpecies comparata cum rebus ſingulis, eſt genus. iam verò quæ ratio argumentandi eſt à genere ad ſpeciem, eadem valet à rebus ſingulis ad formam, & viciſsim quæ ratio argumentandi eſt à ſpecie ad genus, eadem valet à rebus ſingulis ad formas. quamobrem ſpecies comparata cum rebus ſingulus, genus erit. requires ſi res ſingulæ ſpecies ſint, quî fieri poterit, vt illarũ ſit diffinitio, cum Ariſtote. ſcribat ſpecies rerum diffiniri. reſpondeo Ariſtot. ſemper ſpeciem ſeparaſſe a rebus ſingulis: quam ſententiam nos improbamus: præter-

ter-

terquã ca. 4. li. de partibus Animaliũ, quo loco Socratẽ & Coriſcũ appellat vltimas ſpecies. cuius libri autorẽ fuiſſe Ari. nemo vnquã dubitauit: at de libris Logicis omnes viri docti, vel illius ſtudioſiſsimi interpretes dubitarũt: Sed fuerit'ne Ariſt. in ea ſentẽtia, an nõ parũ noſtra referre arbitramur: nã ratio præpõderat autoritati. quoniã autem noſtra ætate multũ tribuunt Philoſophi autoritati, teſtimonijs autorũ doctiſsimorũ noſtrã ſententiam confirmemus. Galenus. 1. lib. de Tẽperamẽtis categoriã ſubſtantiæ declarans hominẽ vocat genus. Cicero primo libro de inuẽtione, Seneca lib. 8. Epiſtolarum epiſtola prima, omnes iuriſperiti veteres ſic loquuntur quorum maxima eſt Latinè loquendi autoritas. nam ſingularia facta, quæ exẽpla ſunt legum, vocant illi ſpecies, quæ Græcè Theophilus appellat ὑποθέσεις, barbari caſum nominant. omnes etiam ſcriptores Latini hac ſignificatione ſpeciei vtuntur: vt Plautus in Perſa, animorum ſpecies vertũtur: vt Perſius, mille hominum ſpecies & rerum diſcolor vſus: Græcos teſtes non cito, quia quod Græcum eſt, vt vulgò dici ſolet, non legitur. adhuc expoſitum eſt à nobis quid genus, quidq́; ſpecies ſit, reſtat vt de differẽtia aliquid dicamus. Differentia idẽ eſt quod forma, ſi propriè nomen differentiæ ſumas, ſed differentia tamen ita diſtinguitur à ſpecie, vt de ſpecie genus efferatur, de differentia non: vt homo ſpecies eſt animalis, particeps rationis differentia. nã particeps rationis non dicitur animal, niſi cauſa rei ſubiectæ quæ particeps rationis eſt. Ramus credit





eandem eſſe diuiſionem generis in ſpecies, quæ eſt generis in differentias: ſed falsò cum inter ſe diſtinguantur aliud enim eſt ita diuidere morbum vt dicas ſimilarem eſſe aut inſtrumentarium, aliud ita partiri vt dicas morborum alios eſſe longos, alios acutos. alia enim diuiſio eſt cauſæ in quatuor ſpecies, alia diuiſio cauſarum in eam quæ facit per ſe, & fortuitò: quæ differentiæ cauſarum & modi appellantur. ſi Ramus differentias eas tantùm nominat, quæ reciprocantur cum formis, quas procreant, verè quidem ſentit. vt animalium aliud particeps rationis, aliud expers, perinde eſt ac ſi dicas, animalium aliud homo, aliud belua: ſed ſi hæ appellantur formarum differentiæ, raròin vſum incidunt: præſtabilius igitur eſt differentias eas nominare, quæ naturam generis mutant: quæ colliguntur aut ex cauſis, aut ex effectis, aut ex modo efficiendi rem quanque: cuius methodi exempla à nobis ſuprà propoſita ſunt, cum de cauſis diſputaremus. ratio autem exercendi huius præcepti à nobis exponetur in libro de varijs generibus exercitationum Dialecticarum. à genere vniuerſo ad ſpeciem ſemper valet argumentum ſiue affirmatè, ſiue cum negatione tractetur: vt ſi omne animal viuit, homo viuit. ſi nullum animal vita caret, neque homo. à genere ſi non tractetur vniuersè, nõ valebit argumẽtũ: vt non valet ſi animal eſt, homo eſt. à ſpecie ad genus valet argumentũ affirmatè: vt ſi homo eſt, animal eſt, non tamẽ cũ negatione, vt ſi homo nõ eſt, animal non eſt. nam poteſt eſſe animal, quin

Universidad de Deusto
Biblioteca



homo ſit. à genere laudamus & vituperamus: vt ſi omnis virtus eſt laudanda, & continentia. Hinc ſuademus & diſſuademus: vt ſi vtilis eſt cognitio Philoſophiæ, vtilis quoq; erit cognitio philoſophiæ naturalis. Hinc cõiecturã facti explicamus: vt q omne genus flagitiorũ cõmittere ſolet, veriſimile eſt cõmiſsiſſe furtũ. hinc definitiones cõſtãt enim ex genere et differẽtia. Hinc quæſtio qualitatis ſoluitur: vt ſcilicet omni tempore res honeſtas laudare, licebit & tẽpore nundinarum. à ſpecie laudamus & vituperamus: vt ſi prudentia, & fortitudo, temperantia, & iuſtitia commẽdandæ ſunt, & virtus laudanda erit. Hinc ſuademus & diſſuademus: vt ſi vtiles ſunt Phyſiologia, Mathematicæ, & Metaphyſica, vtilis erit omnis Philoſophia poſita in cognitione. Hinc coniecturam facti explicamus. Si non eſt commiſſum hoc facinus ſponte, neq; neceſsitate, neq; fortuito ab hoc homine, ab eo igitur cõmiſſum non eſt Hinc diffinitiones: vt animal eſt quod cõtinet hominẽ, & beluã. Hinc quæſtio qualitatis ſoluitur: vt ſi licet furem, latronẽ, & ſacrilegũ occidere, licebit quẽuis ereptorẽ occidere. huius loci exẽplũ falſum legitur ſecundo oratorio ad Quintũ Fratrem: ſi omnes ſtudioſi reipub. amandi ſunt, ergo imperator amandus. nam argumentum eſt à genere. aliud exemplũ falſum legitur in Topicis: ſi neq; cenſu, neq; vindicta, nec teſtamento liber factus eſt, non eſt liber. deeſt enim, vt notat doctè Goueanus, genus libertatis antiquiſsimũ, quod fit cum inter amicos ſerui manumittuntur: vt indicat Terẽtius in Adelphis. Syro



re eho. accede huc ad me: liber eſto. aliud item exemplum in Topicis falſum affertur: Fabia in manum viri non conuenit: ergo non eſt materfamiliâs. nam argumentum eſt à diffinitione matrisfamiliâs ſumptum: diffinitur enim materfamilias, quæ non conuenit in manum viri, niſi velis differẽtiam pro ſpecie poſitam fuiſſe.

Tertium ex ſubiectis.] A ſubiectis diuiſio dicitur, cum res diuiſa eſt adiuncta, & partes diuidẽtes ſubiectæ. cuius tria ſunt genera, quemadmodum & rerũ ſubiectarum. à ſubiectis primi generis colores alij ſunt in rebus animatis, alij in rebus inanimatis. à ſubiectis ſecundi generis: Philoſophia aut verſatur circa mores, aut circa res naturales, aut circa rationem diſſerendi. à rebus ſubiectis tertij generis: veſtimenta quædam virorum, alia mulierum. à diuiſione rerum ſubiectarum laudamus & vituperamus: vt Philoſophiam, quòd omnis illius cognitio verſetur circa mores, res naturales, aut rationem diſſerendi. Hinc ſuademus & diſſuademus: vt virtutem omnem expetendam eſſe, quia verſatur aut in cognitiõe veritatis, aut in tribuendo quod ſuum eſt cuiq;, aut in moderatione vitæ, aut in periculis & moleſtijs patienter ferendis. Hinc coniecturam facti explicamus: ſi neq; veſtimenta viri, neq; mulieris furatus eſt, non commiſit furtum. Hinc diffinitiones explicantur: vt Philoſophia eſt cognitio rerum humanarum, atque diuinarum. Hinc quæſtio qualitatis ſoluitur: vt ſi licet arma ferre equitum & peditum, licebit omnia arma ferre.

Universidad de Deusto Biblioteca



Quartum ex rebus adiunctis.] Hæc diuiſio triplex eſt, quemadmodum ſuperior. prima ab adiunctis, quæ inſunt: vt homines alij docti, alij indocti. ſecunda ab adiunctis ſecundi generis: vt ratio degendæ vitæ docetur partim ĩ Ethica, partim in Oeconomica, partim in Politica. Tertia à rebus adiunctis tertij generis: vt Rex partim cinctus eſt equitibus, partim peditibus. à diuiſione ex adiunctis laudamus & vituperamus: vt ratio degendæ vitæ laudanda eſt quia docetur partim in Ethica, partim in Oeconomica, partim in Politica. Hinc ſuademus & diſſuademus: vt non eſſe ducendam vxorẽ probat Bias, quia ſit formoſa omnis, aut deformis: formoſam futurã communẽ: quod ſi deformis, moleſta erit. Hinc coniecturam facti explicamus: vt hoc facinus à Rege committi non potuiſſe, qui progrederetur cinctus partim peditibus, partim equitibus. Hinc deſcriptiones ſumuntur: vt homines ſunt, qui ſunt docti aut indocti: ineptæ tamen diuiſiones. Hinc quæſtio qualitatis ſoluitur: vt ſi integrum eſt adoleſcenti formoſam ducere vxorem, aut deformem, quamuis vxorem ducere adoleſcenti licebit. ad hanc diuiſionem à rebus adiunctis referenda eſt diuiſio accidentis in accidentia: vt omne candidũ aut eſt dulce, aut amarum. diuiſio eſt ita explicanda, omnis res quæ ſubiecta eſt candori, aut dulcis eſt, aut amara. nam ſi non de re ſubiecta niſi adiuncta intelligatur, falſa erit diuiſio. quaſi dicas, omnis candor aut dulcis eſt, aut amarus. cum nulli candori conueniant ſapores, ſed rei candidæ. Præterea quemadmodum attributio





accidentis de accidenti falſa eſt ſi de re ſubiecta intelligatur: vt hoc album ambulat de candore falſa eſt, de homine candido vera, ſic diuiſio accidentis in accidentia falſa eſt.

Quatuor ſunt præcepta diuidẽdi.] Vt diuiſio perfecta ſit hæc præcepta ſeruanda ſunt. dices ſecundum præceptum non eſt neceſſarium, cùm contineatur ſub primo. falſum id eſt: nam hæc reciprocantur ſi animal eſt aut belua, aut homo, aut equus, & tamen redundat equus in hac diuiſione. in tertio præcepto partes contrariæ ſemper intelligendæ ſunt, ita vt affirment omnes partes, nam & ſi dicam expers rationis intelligendum eſt non de negatione, ſed de forma contraria. nam ſi de negatione intelligatur, genus participabit ſuas differentias: quia neceſſe eſt in omni re propoſita aut affirmationem, aut negationem dici: hoc autẽ fieri non poteſt, vt genus participet ſuas differentias: quare de forma ſemper contraria intelligenda eſt altera pars diuiſionis.

Quartum vt diuiſio, ſi fieri poteſt, conſtet ex duabus partibus.] Hoc præceptum colligitur ex Sophiſta & Ciuili Platonis: quod intelligendum eſt non de omni diuiſione, ſed de diuiſione tantùm generis. quam ſententiam reprehendit Ariſtote. 1. de Partibus animalium multis argumentis, ac præſertim tribus. primò ſi diuiſiones ex duabus partibus conſtent, in diffinienda re aliqua, quoniam in inferiori differentia ſemper ſuperior intelligitur, fiet nugatio. falſum illud eſt in inferiori differentia, differentiam ſuperiorem

Universidad de Deusto Biblioteca



intelligi:nam nulla differentia participat ſuum ſupe-
rius:quod ſi participet, regrediemur in infinitũ.quia
omnis differentia conſtaret ex genere & differentia,
quod eſt abſurdum.Secundo contrariæ differentiæ cõ
uenirent eidem ſpeciei.non valet argumentum: quia
præceptum Platonis intelligendum eſt de diuiſione
per ſe.Quid?quòd abſurdum non eſt vrbanũ & ſyl-
ueſtre quæ differentiæ afferuntur contrariæ, conue-
nire columbis.columborum enim quidam ſylueſtres,
alij vrbani ſunt.Tertiò aut priuatione vtendum eſſet
pro differentia, quod eſt abſurdum, aut multæ colli-
gendæ eſſent diuiſiones, quod laborioſum eſt. priua-
tione quidem vtimur pro forma contraria:quia care-
mus proprijs nominibus.colligere autem multas diui-
ſiones non eſt neceſſarium, aut ſi ſit, quò magis la-
borioſum, eò magis pulchrum erit. atque hæc de di-
uiſione.

Abſoluta diuiſione, ſequitur diffinitio.] Diffini-
tionis nomen Metaphoricῶs ſumptum eſt ab agris.
nam quemadmodum agri ſuis limitibus, ſic quæq; res
ſua diffinitione concluditur, & à reliquis ſeparatur.
quod voces Græcæ apertè declarant. ὅρος & ὁρισμός.
de diffinitione præcepit Plato in Theæteto, & Ciui-
li.Ariſtote. 2.poſterioris Analyſews diſputat de dif-
finitione vt methodus eſt explicandi quid res ſit, vt
eſt à nobis ſupra demõſtratum. de diffinitione autem,
vt eſt medium demonſtrationis, diſputat. 2. & .8.ca-
pit. 1.lib.poſterio.de eadem vt eſt problema Topicũ,
agit.6.Topico.7.autem Metaphyſico diſſerit de dif-
finitione



finitione non per ſe, ſed cauſa ſubſtantiæ: quia vnam
ſignificationem ſubſtantiæ fecerat eſſentiam rei.

Porrò autem diffinitio eſt rei corporeæ.] Ariſto.
ſecundo poſterio. Analyſews tria facit genera diffini-
tionum ex cauſis: vnum diffinitio, quæ caret medio,
qualis eſt, quæ ducitur ex forma, aut fine: vt ira eſt ap
petitus vindictæ. alterum quod habet medium, per
quod demonſtretur: qualis eſt diffinitio à materia, aut
cauſa efficiẽti: vt ira eſt ebullitio ſanguinis circa cor.
nam hæc diffinitio demonſtrari poteſt per appetitum
vindictæ.tertium ex omnibus generibus cauſarũ iun-
ctum, aut certè ex tribus.nam forma quæ ſit cuiuſque
rei ignoratur: vt ira eſt perturbatio, qua ebullit ſan-
guis circa cor propter appetitum vindictæ. hæc ſola
diffinitio perfecta eſt: qualis eſt illa hominis animal
compos rationis.nam animus compos rationis eſt for-
ma hominis, & efficiẽs, quia noſtrã vitã tuetur, &
finis, quia omnes noſtræ actiones ad rationis perfe-
ctionem tendunt. hoc genus diffinitionum colligitur
per diuiſiones perpetuas, vt Plato præcipit in Theæ-
teto: quæ ratio vt certa ſit auſpicandum à primo ge-
nere cuiuſq; rei. quod autem genus cuiuſq; rei primũ
ſit declarant categoriæ, vt nos docemus in noſtris in-
ſtitutionibus Dialecticis, vt ex categoria ſubſtantiæ
diffinies hominem ad hunc modum: ſubſtantia corpo-
rea animata ſentiens particeps rationis quæ diffini-
tio licet prolixa ſit, eſt tamen certa.ſed poteris bre-
uius diffinire, ſi omnia quæ præceſſerunt differen-
tiam vno nomine exprimantur. illud autem cauen-
dum

Universidad de Deusto
Biblioteca



dum eſt, ne qua vox media in diffiniendo prætermittatur: quod vitium eſt maximum in diffiniendo.

Deſcriptio ducitur ex reliquis locis.] Deſcriptio, quæ colligit ſolum accidentia, quæ ex communi hominum conſenſu rei alicui conuenire cognoſcuntur, appellatur à Galeno diffinitio notionis. cuius tale affert exemplum: pulſus eſt motus inuoluntarius in quibuſdam partibus animalis ſanguinem habentis per quietē interpellatus. hæc deſcriptio valet plurimum ad inueſtigandam veram diffinitionem cuiuſq; rei, vt ſcribit Ariſtot. 1. de animo. ab effectis accidentia communia deſcribuntur: vt candor eſt color diſsipans aſpectum. à rebus ſubiectis accidētia propria: vt ſimitas eſt naſi concauitas non quod naſus explicet eſſentiam ſimitatis. nam res vnius categoriæ nō explicat eſſentiam alterius. res quæ ignorantur quid ſint deſcribuntur per negationem: vt materia eſt quæ neq; eſt ſubſtantia, neq; quantitas, neq; alia categoria, ſed res omnibus ſubiecta. in hoc genere deſcribendi duo obſeruanda ſunt: vnum, vt negentur res antea cognitæ: alterum, vt affirmatio aliqua exprimatur, ne diffinitio conueniat Tragelapho, & rebus quæ non ſunt. vtrunq; ſeruat Porphyrius in deſcribendo accidenti. Deſcriptio à ſimilitudine inepta eſt: quia genus & res diffinita plerunq; in diuerſis categorijs continentur: vt temperantia eſt concentus cupiditatum. nam temperantia qualitas eſt, concentus verò relatio. Deſcriptio item à diuiſione parum admodum valet. nam alicui conuenit res diffinita, cui falsò attribuitur diffinitio: vt homini





conuenit animal eſſe, non tamen diffinitio animalis ſumpta ex diuiſione. nā cū dico quod eſt particeps rationis, aut expers, intelligo aliud animal rationis eſſe compos, aliud expers, quæ diuiſio non conuenit homini: quia omnes ſunt compotes rationis.

Secundum: vt diffinitio ſit breuis.] Laborandum magis eſt de perſpicuitate, quàm de breuitate. quia breuitatis finis eſt confirmare memoriam, perſpicuitatis verò iuuare intelligentiam: finis autem propoſitus diffinitioni eſt intelligere quid quæq; res ſit. hinc apud Oratores & Poëtas frequētes deſcriptiones prolixæ: qualis eſt deſcriptio famæ, quæ legitur quarto AEneidos. Poëtæ autem frequentius hoc genus deſcribendi adhibent, tum quia proponunt ſibi non tam docere, quàm mouere & delectare auditorem: tum quia res ſpeciales magis, quàm vniuerſas deſcribunt: res autem ſpeciales pluribus egent, vt intelligatur quid ſint. hic locus tractatur bifariam aut à diffinitione ad rem diffinitam, aut viciſsim: quemadmodum in reliquis locis fieri videmus: vt à nomine ad Etymologiam, aut ab Etymologia ad nomen. à diffinitione laudamus & vituperamus: vt ſi virtus ſuum cuiq; tribuens laudanda eſt, iuſtitia laudanda erit. Hinc ſuademus & diſſuademus: vt ſi vitanda eſt perturbatio animi, qua accēditur ſanguis circa cor propter appetitū vindinctæ, fugienda quoq; erit ira. Hinc coniecturam facti explicamus: vt commiſſum fuiſſe facinus ab hoc homine, quia conuenit illi deſcriptio ex notis faciei & totius corporis. Hinc quæſtio diffinitionis propria

Universidad de Deusto Biblioteca



explicatur. nam in cæteris locis non tam poſita ſunt à nobis exempla quæſtionis, qua quæritur, quo nomine quæq; res appellanda ſit, quæ propriè vocatur quæſtio diffinitionis ab Oratoribus, quàm diffinitiones ex ſingulis locis ſumptæ: quemadmodum in quæſtione qualitatis nõ ſemper poſuimus exempla earũ quæſtionũ, quibus quæritur iure'ne an iniuria factũ aliquid ſit, ſed omniũ, quæ pertinẽt ad qualitatẽ. in iuris etiã quæſtione explicãda adhibẽtur diffinitiones: vt ſi quæratur nũ Milo iurè occiderit Clodiũ, ex diffinitione eius quod iurè fit explicabitur: vt ſi cum ratione fecit, quæ legibus cõceditur, iurè ergo occidit Clodiũ

Aſſumpta ſunt, quæ ex enunciatione totius quæſtionis eruuntur.] Aſſumpta ſunt teſtimonia: quæ aut ſunt diuina, aut humana. diuina ſunt, quæ à deo, aut ab homine, qui diuino numine afflatus ſit, pronunciantur humana aut ſumuntur ex hominibus aut ex ratione teſtandi. ex hominibus: vt teſtimonia Philoſophorum, Oratorum, & Poëtarum: vt nemo ſine crimine viuit, vt ait Horatius. ex modo teſtandi: vt pacta, promiſſa, iuſiurandũ, approbatio, quæ fit ex periculo facto alicuius rei: vt fac periculum in literis quaſi poſtules alterius iudicium & approbationem. Teſtimonia ſi diuina ſunt, præſtant omnibus generibus argumentorum: ſi humana, infirmiora ſunt cæteris argumentis. quamobrem in omni diſputatione extremo loco adhibenda ſunt, vt cum ſententiam tuam multis argumentis confirmaueris, ad extremum ſtupidorum cauſa, ſi qui fortè ſunt, teſtimonia afferas. quẽ

ordinem



ordinem ſequendum eſſe præcepit Galenus extremo lib. quinto de decretis Hippocratis & Platonis. Porrò in iudicandis teſtimonijs videndum eſt primũ, quæ ratio ſit teſtimonij. nam ſi nulla afferatur, leue erit. deinde, quæ vita, & qui mores teſtis. nam ſi teſtis faber non ſit, male de re fabrili iudicabit: vnde illud Horatij. tractent fabrilia fabri. Poſtremò, quò tempore & loco teſtimonium dixerit, & quo loco natus ſit teſtis. nam ſi Græci hominis teſtimonium ſit, leuiſſimum erit. atq; hac ratione de teſtimonio iudicandũ eſt poſita quæſtione ſit'ne credendum huic homini, et explicata ex omnibus generibus argumentorum. à teſtimonijs laudamus & vituperamus: vt Socrates laudatur à Græcis, quòd oraculo Apollinis omnium ſapientiſsimus iudicatus fuerit. Hinc ſuademus & diſſuademus: vt non eſſe laborandum magnoperè de iudicio vulgi, quia ait Perſius-nec te quæſiueris extra. hinc coniecturam facti explicamus: vt commiſsum facinus fuiſse ab eo homine, qui iureiurando, adactus, & tormentis confeſsus fuerit ſe commiſiſse, & ex teſtibus qui interfuerunt. Hinc quæſtio diffinitionis explicatur: vt hũc hominem ſacrilegum eſſe, quia diffinitur à iuriſperitis ſacrilegus, qui furatur res ſacras ex loco ſacro. Hinc quæſtio qualitatis ſoluitur: vt Oreſtes iurè occidit Clytemneſtrã matrem cauſa patris vlciſcendi: quia ita iudicauit Pallas. Atque hæc de inuentione argumentorum: quam docuimus, vtilẽ eſſe ad omnia genera quæſtionum oratoriarum explicanda. neq; verò minus vtilis cenſenda eſt ad par-

 tes

Universidad de Deusto Biblioteca



ctes orationis inueniendas, aut ad mouendas animi per-
turbationes, vt ſupra explicatum eſt: imò ad ea omnia
præſtanda, quæ Rhetores tam de generibus cauſarũ,
quã de ſtatibus, & partibus orationis, & affectibus
mouendis præceperunt. Quamobrem inuentio orato-
rum neceſſaria non eſt. In argumentis obſeruandum
illud eſt, fieri poße, vt vna & eadem vox ad multa
genera argumentorum diuerſa comparatione refera-
tur: vt homo cauſa eſt ſuarum actionum, effectũ Dei
& parentum, ſubiectum virtutum & vitiorum, ad-
iunctum terræ, diſſentaneum beluæ, ſimile quodam-
modo angelo, genus Socratis, ſpecies animalis. huius
inuentionis varios vſus & exercitationes complecti-
mur in libello de varijs generibus exercitationũ Dia
lecticarum: vt conficere locos communes, distingue-
re res inter ſe, comparationes exercere quales ſunt
Plutarchi in Parallelis, exordia inuenire, quaſuis ani
mi perturbationes excitare, & alia innumera, quæ eo
loco perſequimur.

Abſoluta inuentione, diſpoſitio explicanda eſt.]
Diſpoſitio vocatur ab Ariſ. Analyſis, id eſt, reſolutio:
quia docet methodũ demonſtrandi, cuius omne iudi-
cium veritatis ex reſolutione, quæ cõtraria eſt demõ
ſtrationi, colligitur, ab alijs vocatur κριτικὴ, id eſt, iu-
dicium ab oratoribus diſpoſitio, quos nos ſequimur.
Quinti. li. 6. conſilium à iudicio diſtinguit quaſi con-
ſilium rebus latentibus, iudicium apertis adhibeatur.
ſed non ſeruatur hæc diſtinctio. nomina reſolutionis
& iudicij non conueniunt toti diſpoſitioni.

Diſpo-



Diſpoſitionis duo ſunt genera.] Nã aut collocatur
vnũ argumentũ, aut multa. ſi vnũ, argumẽtatio nomi-
natur: ſi multa, methodus. quanquã methodus à nullo
ferè ſcriptore huius artis expoſita eſt, cũ ſit ab argu-
mẽtatione diuerſa, vt conſtat ex ſuperiori diſputatio
ne, cũ docuimus non ſolũ argumentorũ, ſed etiã argu-
mentationũ diſpoſitionẽ quandam eſſe. Diffinitio ar-
gumentationis, quæ vulgò affertur, oratio conſtituta
antecedẽte, & cõſequente, tanquã ſuis partibus, quas
aliqua copula rationalis cõiungit, ridicula eſt: tũ quia
nõ tam explicat quid argumentatio ſit, quàm quæ ſint
eius partes, tũ quia coniunctionem facit partem, quæ
pars non eſt, ſed nexus quidã partiũ. præſtabilior erit
noſtra diffinitio ex quatuor generibus cauſarũ deſum
pta. nã collocatio argumenti eſt cauſa efficiens: argu-
mentũ, materia: cũ tota quæſtione, aut partibus illius,
forma: ad veritatem iudicandam, finis.

Partes argumentationis aliæ ſunt maiores, aliæ mi-
nores.] exiſtit hoc loco quæſtio, nũ quatuor ſint ſpe-
cies argumentationũ diuerſæ: ſyllogiſmus, Enthyme-
ma, inductio, & exemplũ. quæ quid ſint in contextu
docuimus. nunc quæſtionem poſitam explicemus. ſpe-
cies eæ non ſunt diuerſæ inter ſe. nam primò ſpecies
rerum diſtinguntur per formam, non per materiam:
quod axioma conceſſum eſt ab omnibus Philoſophis.
forma autem argumentandi in his omnibus eadem eſt:
ergo nõ differunt ſpecie, ſi quidem in his omnibus eſt
collocatio medij cum vtraq; parte quæſtionis vt Ari-
ſtote. agnoſcit in inductione, & exemplo (nam de

Enthy-

Universidad de Deusto Biblioteca



Enthymemate perſpicuum id eſt) maius extremum & minus, quæ partes quæſtionis ſunt, & mediũ, quod eſt argumentum. obijcies, non eſt eadem collocatio in inductione, atq; in ſyllogiſmo: quia in inductione medium eſt, vt ait Ariſtote. minus extremum, & maius extremum medium. reſpondeo hoc ſcriptum fuiſſe ab Ariſtote. vt declararet cum inductio ſyllogiſmus ſit tertiæ figuræ, reuocari ad ſyllogiſmũ primæ, ſi quod medium erat in ſyllogiſmo tertiæ formæ, fiat minus extremum in ſyllogiſmo primæ figuræ, & quod erat minus extremum, fiat medium: vt ex hac inductione Ariſtot. omnis homo, equus, mulus, & reliqua huiuſmodi animantia ſunt longæua: hæc autem omnia carẽt bile: ergo omne quod caret bile eſt longæuum. ſic fiet ſyllogiſmus primæ formæ: omne animal quod caret bile eſt longæuum, omnis autẽ homo, equus, mulus, carent bile: ergo hæc omnia ſunt longæua. quare cũ inductio ſyllogiſmus ſit tertiæ figuræ, nõ differet ſpecie à ſyllogiſmis tertiæ figuræ. neq; ſi reuocetur ad ſyllogiſmum primæ: nam iſto pacto ſyllogiſmi ſecundæ, & tertiæ formæ non eſſent ſyllogiſmi, cum ad ſyllogiſmos primæ reuocentur. Exemplum eandem collocationem habet cum ſyllogiſmis primæ & tertiæ figuræ. nam ex vno exemplo fiunt duo ſyllogiſmi: vt ex hoc exemplo Athenienſes bellum gerere cum Thebanis pernicioſum erit: quia pernicioſum fuit Thebanos bellum geßiſſe cum Phocẽſibus, ſyllogiſmo primæ figuræ ex antecedenti exempli colligitur propoſitio vniuerſa: hoc modo Thebanos cum Phocenſibus bel-

lum



lum gerere eſt malum: hoc autem eſt bellum ſuſcipere cum finitimis: quamobrem bellum ſuſcipere cum finitimis eſt malum. Alter ſyllogiſmus eſt primæ figuræ: bellum ſuſcipere cum finitimis eſt malum: Atheniẽſes autem ſunt finitimi Thebanis: ergo Athenienſes bellum ſuſcipere cum Thebanis malũ eſt. quare exemplum non differt ſpecie à ſyllogiſmo. quod ſi dicas inductionem & exemplum differre ſpecie à ſyllogiſmo, quia inductio ducitur ex partibus, & exemplum ex vna parte, ſyllogiſmus autem non ſolum ex partibus, verum etiam ex reliquis locis ſumitur. ſi hæc dißimilitudo ſpecies facit diuerſas, quot ſunt genera argumentorum, totidem erunt ſpecies argumentationum, non ſolum quatuor, quæ vulgò afferuntur. quod falſum eſſe omnes Ariſtotelici confitentur: nomina tantùm argumentationum mutantur argumentis quorum exempla in contextu propoſita ſunt. ſecundum argumentum quo probamus non eſſe ſpecies diuerſas argumẽtationis tale eſt: nulla ſpecies fit ex cõtraria ſpecie: ſyllogiſmus autem fit ex inductione, vt docet Ariſtot. & vicißim inductio ex ſyllogiſmo, & ſyllogiſmus fit ex Enthymemate, & Enthymema ex ſyllogiſmo, & exemplum ex duobus ſyllogiſmis & duo ſyllogiſmi ex exemplo: quare nõ ſunt ſpecies inter ſe diuerſæ. Extremum argumentum: cuius quidq; genus eſt, ab eo non differt ſpecie: ſyllogiſmus autem affertur ab Ariſtot. primo priorum in diffinienda inductione tanquam genus inductionis, & primo oratorio tanquam genus Enthymematis: ergo non differt

ab ijs

Universidad de Deusto
Biblioteca



ab ijs ſpecie. quare non ſunt ſpecies inter ſe diuerſæ.
nunc quod de omnibus formis argumentationum de-
mōſtrauimus, priuatim de Enthymemate & ſyllogiſ-
mo demonſtremus. Enthymema non differt ſpecie à
ſyllogiſmo. primò à cauſis: quia forma eadem eſt vtri-
uſq; argumentationis. nam in vtraq; eadem eſt collo-
catio argumenti cum vtraq; parte quæſtionis. deinde
ſi Enthymema ſpecies diuerſa ſit à ſyllogiſmo, maxi-
me quia deeſt vna ſumptio: hoc autem ſatis non eſt. nā
pars ſublata, niſi formam rei mutet, non tollit ſpeciē,
vt brachium ſublatum non mutat ſpeciem hominis.
Præterea ſi Enthymema ſpecies diuerſa eſt, quia de-
eſt vna ſumptio, Epicherema multò magis ſpecies di-
uerſa erit, quia deſunt in eo duæ ſumptiones: vt ma-
ter occidiſſet filium! poſtremò ſi, quia deeſt vna enū-
ciatio in Enthymemate, ſpecies diuerſa eſt à ſyllogiſ-
mo, quia supereſt etiam vna in ratiocinatione quadri-
pertita, ſpecies diuerſa erit à ſyllogiſmo: vt ſi quis
ita ratiocinetur, omne animal eſt ſubſtantia, quia om-
ne animal per ſe cohæret: omnis autem homo eſt ani-
mal: ergo omnis homo eſt ſubſtantia: ac multò magis
ratiocinatio quinq; partita diuerſa ſpecies erit à ſyl-
logiſmo, quia plures ſumptiones in ea ſuperſunt: vt
omne animal eſt ſubſtantia, quia p ſe cohæret: omnis
autem homo eſt animal, quia ſentit: ergo omnis homo
eſt ſubſtantia: atqui nemo fatetur ratiocinationē qua-
dripertitā, & quinquepartitā diuerſam eſſe ſpeciem
à ſyllogiſmo: ergo Enthymema nō differt ſpecie à ſyl-
logiſmo. Dices Enthymema conſtat ex probabilibus,

ſyllogiſ-



ſyllogiſmus non ſolum ex probabilibus, ſed etiam ex
neceſſarijs. falſum hoc quidem eſt. nam Enthymema-
ta etiam ducuntur ex neceſſarijs. Quid? quòd materia
non poteſt diſtinguere formas argumentationū. qua-
re non ſunt quatuor ſpecies inter ſe diuerſæ. Veræ
igitur ſpecies ex collocatione argumenti cum quæ-
ſtione, quæ forma argumentationis eſt, colligentur.
Argumentum aut collocatur ſeparatim cum vtraque
parte quæſtionis, aut cum tota quæſtione. ſi ſepara-
tim cum vtraq; parte collocetur vocatur ſyllogiſmus
ſimplex, à Græcis categoricus, quia in enunciationi-
bus illius aliquid de aliquo effertur, nulla poſita hy-
potheſi. quod ſi collocetur argumentū cum tota quæ-
ſtiōe eſt ſyllogiſmus cōiunctus: qui vocatur à Peripa-
teticis hypotheticus: quia argumētamur poſita aliqua
hypotheſi. ſed hæc nomina categorici & hypotetici
incerta ſunt. nā hic ſyllogiſmus ſimplex eſt, & cū hy-
potheſi: ſi animal eſt, viuit: homo autē eſt animal: ergo
homo viuit. ſyllogiſmus ſimplex diuiditur in tres ſpe-
cies: quia trifariā collocari poteſt argumētū cū vtra-
que parte quæſtionis per ſe cōparatum. nā aut mediū
ſubijcitur maiori extremo, & tribuitur minori, tum-
que fit prima forma: aut tribuitur vtriq;, & fit ſecū-
da: aut ſubijcitur vtrique, & fit tertia. Primæ formæ
quatuor ſunt modi conſtantes, qui colliguntur ex di-
ſtinctione ſumptionum in affirmātes, & negātes, vni-
uerſas, & in parte. qui modi & reliquarū figurarū vt
facilius intelligerentur, impoſita ijs fuerunt nomina
Græca ab Alexandro Aphrodyſſæo, quæ ſunt:

Γράμματκ,

Universidad de Deusto Biblioteca



Γράμματα, Ἔγραψε, Γραφίδι, Τεχνικός.
Ἔγραψε, κάτεχε, Μέτριον, Ἄχολον
Ἅπασι, σθεναρὸς, ἰσάκις, ἀσπίδι, ὁμαλὸς, φέριστος.

Et Latina à Petro Hiſpano, quæ meruerunt conſenſum omnium eruditorum: quæ ſunt his verſibus comprehenſa.

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum,
Cæſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco, Darapti,
Felapton, Diſſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon.

Ad quas voces intelligẽdas obſeruandũ illud eſt ſignificari affirmationẽ vniuerſam litera a, negationẽ vniuerſam litera e, affirmationẽ partis litera i, & negationem litera o. primus itaq; modus primæ formæ eſt Barbara: vt omne honeſtũ eſt laudabile: omnis autem virtus eſt honeſta: ergo omnis virtus eſt laudabilis. ſecũdus modus eſt Celarẽt: vt nullus timidus eſt liber: omnis amans eſt timidus: ergo nullus amãs eſt liber. tertius Darij: vt omnis Diues honoratur: Craſſus eſt diues: ergo Craſſus honoratur. quartus Ferio nullus tyrannus eſt iuſtus: Phalaris eſt tyrannus: ergo Phalaris nõ eſt iuſtus. Secũdæ formæ primus modus eſt Cæſare: vt nullũ vitium eſt virtus: omnis iuſtitia eſt virtus: ergo nulla iuſtitia eſt vitium. ſecundus Cameſtres: vt omnes viri docti ſunt ſtudioſi literarum: nullus Sophiſta eſt ſtudioſus literarum: ergo nullus Sophiſta eſt vir doctus. Tertius Feſtino nullus doctus odit literas: Sophiſta odit literas: ergo Sophiſta nõ eſt vir doctus. quartus Baroco: omnis iniuſtus iniuſtè facit, Ariſti-





des non facit iniuſtè: ergo Ariſtides non eſt iniuſtus. Tertiæ formæ primus modus Darapti: omnis virtus eſt amplectenda: omnis virtus eſt bona: ergo quoddam bonum eſt amplectendum. Secundus Felapton: nullus tyrannus eſt iuſtus: omnis tyrannus eſt crudelis: ergo aliquis crudelis nõ eſt iuſtus. tertius Diſamis: quidam homo eſt doctus: omnis homo eſt animal: ergo aliquod animal eſt doctum. quartus Datiſi: omnis virtus eſt expetenda: aliqua virtus eſt iuſtitia: ergo aliqua iuſtitia eſt amplectenda. quintus Bocardo: aliquod animal non eſt particeps rationis: omne animal ſentit: ergo aliquid quod ſentit, non eſt particeps rationis. ſextus Feriſon: vt nullus homo eſt expers rationis: aliquis homo eſt doctus: ergo aliquis doctus non eſt expers rationis. Præter hos modos adduntur bini in quaq; figura ex ſumptionibus proprijs: vnus affirmans, alter negans. affirmans primæ. Socrates eſt filius Sophroniſci: hic homo eſt Socrates: ergo hic homo eſt filius Sophroniſci: negans: Ari. nõ eſt magiſter Plat. tu es Ari. ergo tu nõ es magiſter Platonis. ſecundæ formæ: Milo occidit Clodium: Cicero non occidit Clodium: ergo Cicero non eſt Milo. ſecundus fit, ſi inuertas ordinem ſumptionum hoc modo: Cicero non occidit Clodium: Milo occidit: ergo Milo non eſt Cicero. primus modus tertiæ formæ: Cicero eſt eloquens: Cicero eſt Romanus: ergo quidam Romanus eſt eloquens. ſecundus: Cicero non eſt Græcus: Cicero eſt eloquens: ergo aliquis eloquens non eſt Græcus. hos modos proprios vocat Ariſto. expoſitorios ſexto capite primi Prio-

Universidad de Deusto Biblioteca

vis Analyſeως: qui etſi rarò incidunt in vſum, incidunt tamen aliquando: quare obſeruandi ſunt. ſyllogiſmus coniunctus diuiditur in quatuor formas: in cõnexum, diſiunctum, copulatum, & relatum. ſyllogiſmi connexi duo ſunt modi conſtantes: primus cum poſito antecedente, ponitur conſequens: vt ſi ſol lucet, dies eſt: ſol autem lucet: dies igitur eſt. ſecundus cum ſublato conſequenti, tollitur antecedens: vt ſi homo eſt, animal eſt: non eſt autem animal: ergo non eſt homo. ex negatione connexa nulla eſt forma argumentandi conſtans. nam ſi ita dicas non ſi homo eſt particeps rationis, cœlum mouetur, nihil efficis, ſed tantum declaras vnum ex altero non concludi. Diſiuncti ſyllogiſmi duo ſunt modi: primus cum vno ſublato, alterũ ponitur: vt aut dies eſt aut nox: non eſt autem dies: ergo eſt nox. ſecundus cum vno poſito, alterum tollitur: vt eſt dies, non eſt igitur nox: vt autẽ ſyllogiſmi diſiũcti firmi ſint, oportet partes diſiunctionis inter ſe repugnare. ſyllogiſmus copulatus affirmans nihil efficit: negans tractatur eodẽ modo, atq; ſecũdus diſiunctus: vt non & doctus eſt homo, & indoctus: eſt autem doctus: quare nõ eſt indoctus. quod ſi vno ſublato, alterum ponas, non erit conſtans concluſio: vt non & albus eſt homo, & niger, non eſt autem albus: ergo eſt niger, non valet argumentum. quare inconſtans eſt hic modus qui additur à Cicerone in Topicis non & hoc eſt & illud, nõ eſt autem hoc, illud igitur. qualis eſt & tertius qui ab illo additur: vt ſi ita dicã non & homo eſt albus & non eſt niger: non eſt autẽ

niger.



niger. ergo eſt albus. ſyllogiſmi relati duo ſunt modi, quos Ramus non expreſsit, cum tamen neceſſarij ſint, & crebris hominum ſermonibus vſurpentur: vnus, cũ alterutra parte poſita, altera ponitur: vt qualis vir, talis oratio: vir autem probus: ergo oratio proba. alter, cum alterutra parte ſublata, altera tollitur: vt qualis vir, talis oratio, vir autem non eſt probus: ergo oratio non eſt proba. atq; hæ ſunt formæ omnes conſtantium argumentationum: quod ſi aliqua argumentatio firma ſit, quæ nulla harum formarum contineatur, iudicandum eſt eam conſtantem eſſe nõ cauſa formæ & collocationis, ſed materiæ & argumenti: vt ſi à genere ad ſpeciem argumenteris ſemper erit conſtans argumentatio ex omnibus negantibus: vt ſi non eſt animal, non eſt homo: lapis autem non eſt animal: lapis igitur non eſt homo. nunc quod ſuprà polliciti ſumus de ſyllogiſmis hypotheticis nos explicaturos, paucis doceamus: quia ſyllogiſmi hypothetici magis pertinent ad materiam argumentandi quàm ad formam, Ariſtote. ſecundo Topico non ſine ratione explicauit ſecundum modum connexum, & Cicero in Topicis ſeptem modos hypotheticos tradidit. quod autem ad materiam potius pertineant, quàm ad formã argumentandi hinc intelliges: ſi homo eſt, animal eſt, valet argumẽtum, quia eſt à ſpecie, ad genus: at ſi ita argumenteris ſi homo eſt, equus eſt, non valet argumentum, quia ſunt diſſentanea: ergo omnis vis argumentandi in hypotheticis ex locis argumentorũ ponderanda eſt. quamobrẽ Rodolphus, Latomus, & Ra-

 mus

Universidad de Deusto Biblioteca



mus ſine ratione Ariſtotelem & Ciceronẽ tam acerbè reprehendunt, cum Ariſto. & Cicero honeſtam habeant ſui erroris excuſationem. Quanquam ſyllogiſmi hypothetici non ſunt loci argumẽtorum, tum quia ſunt formæ argumentandi, tum quia ſunt communes omnium argumentorum.

At ſi ſunt tres partes prima propoſitio vocatur.] Propoſitio bifariam dicitur à Cicerone: primò omnis quæſtio propoſita: vt tertio de oratore: ſecundò vocatur propoſitio, quæ à barbaris maior. Omnis autem enunciatio à barbaris propoſitio nominatur. Tertia pars vocatur complexio, interdum concluſio. quanquam nomen concluſionis vſurpat aliquando Cicero pro tota ratiocinatione: connexio etiam vocatur à Quintiliano, et intẽtio dici poſſet: quanquã à Quint. propoſitio vocatur nomine intentionis, ſed ſine ratione: quia nõ eſt propoſitio, quæ intẽditur, ſed cõcluſio.

Tumq́; ſit Epichirema.] A Græcis argumẽtum antequam explicetur & tractetur, vocatur Epichirema, quaſi dicas aggreſsionem: quaſi aggrediaris ad argumentationem explicandam. ſic mater occidiſſet filium Epichirema dicitur: quia non explicantur in eo partes argumentationis.

Si ab omnibus inductio.] Vt inductio nominetur iudicio Ariſtote. neceſſario addenda eſt illa pars, & reliqui homines: ſed cum propoſitio neceſſaria eſt, ad eam probandam non eſt ſemper adhibenda illa pars: quia quæ ratio eſt vnius ſingularis, eadem reliquorũ. Quod ſi quæſtio probabilis fuerit, niſi hæc pars ad-





datur, inductio non eſt conſtans. Obijcies, ſi addatur hæc pars principium petitur, quia idem probamus per ſeipſum. reſpondeo non peti principium, quia non probamus idem per ſe ipſum, ſed generale quod ignotum eſt, per res ſingulas, quæ nobis notiores ſunt rebus vniuerſis.

Duæ regulæ traduntur, ad quas dirigitur argumentatio neceſſaria.] Prima regula temperanda eſt hac lege, ſi ſit neceſſaria connexio antecedentis cũ conſequenti, nam aliôqui non valebit regula: vt ſi animal eſt, fieri poteſt vt homo ſit, non valet viciſsim non poteſt fieri vt homo ſit, ergo non eſt animal. Secunda regula intelligenda item eſt cum conditione, ſi ſit ſimplex conſequens, & in eadem ſignificatione ſumatur. nam aliôqui non valebit: vt ſi animal eſt aut eſt particeps rationis, aut expers: ſi homo eſt, animal eſt: ergo ſi homo eſt, aut eſt particeps rationis, aut expers: non valet argumentum, quia ſumpſi conſequens diſiunctum. hoc alterum argumentum non valet ſi homo eſt, animal eſt: ſi animal eſt, genus eſt: ergo ſi homo eſt, genus eſt: quia mutaui ſignificationem animalis.

Extremum ex falſo interdum falſum efficitur.] In Barbara & Celarent ex maiori omnino falſa, & minori vera, aut ex maiori in totum falſa, & minori in parte falſa, nunquam ſequitur vera concluſio: exemplum primi: omnis lapis eſt animal: omne ſaxum eſt lapis: ergo omne ſaxum eſt animal. exemplum ſecundi: omnis lapis eſt animal: omne id quod candidum eſt, eſt

Universidad de Deusto Biblioteca



lapis:ergo omne quod candidum eſt, eſt animal. ſi ali-
ter ſumptiones falſæ ſint, concluſio ſequetur inter-
dum vera, interdum falſa. atque hæc de argumen-
tatione.

Altera pars diſpoſitionis eſt methodus.] Metho-
dus ſignificat viam breuem. nam quemadmodum com-
pendia viarum ducunt nos breui & expeditè, quò vo
lumus: ſic methodus breui & expeditè explicat rem,
de qua agitur. Latinè vocatur à Cicerone ratio, via,
doctrina. à Quintiliano breue dicendi compendium.
inquirimus autem methodi præcepta, quibus res om-
nes explicari poßint, non res vnius tantùm generis,
aut alterius, neque res ſingulæ, quæ incertam habent
explicationē. Methodus bifariam dicitur: primò quæ-
uis cognitio rerum vniuerſarum: qua ſignificatione
vocantur à Galeno methodi conſequentium, id eſt,
adiunctorum, repugnantium, parium, maiorum, mino-
rum, ſimilium & dißimilium, quæ methodi non ſunt,
vt confitetur Galenus. 4. libro Methodi medēdi cap.
quarto, ſed ſunt loci argumentorum, deinde metho-
dus propriè dicitur ordo rerum inuentarum & iudi-
catarum. Qua ſignificatione diffinitur ab Alexandro:
habitus cognoſcens cum ratione res ſibi ſubiectas:
ab Euſthratio verò habitus muniens viam cum ratio-
ne ad aliquid faciendum: neutra diffinitio explicat
quarū rerū ſit methodus, neq; ex qbus cauſis fiat, ſed
quam vim habeat: quare melior erit hæc diffinitio,
methodus eſt collocatio argumentorum, vt nomen ar
gumenti dicatur etiam de argumentatione, tam enim





methodus eſt argumentorum tantùm, quàm argumen
tationum. ſpecies methodi, quæ ſint, non ſatis conſtat
inter Philoſophos. Platonici enim & plerique Peri-
patetici quatuor faciūt methodos, vt ſuprà diximus:
vnam diffiniendi, alteram diuidendi, tertiam demon-
ſtrandi, quartam reſoluendi: quæ methodi in eandem
diuiſionem non poſſunt cadere, vt ſupra demonſtra-
tum eſt. nam ex diuerſis diuioſionibus vna fit: ſiqui-
dem prima diuiſio eſt methodi, aliæ principes, aliæ mi
niſtræ, & quaſi comites. principes ſunt, ad quas expli
candas aliæ adhibentur: miniſtræ & comites, quæ ad
alias explicandas afferuntur. ſecunda: methodus prin-
ceps, aut explicat naturam rei, vt diffinitio: aut con-
ſequentia rei, vt demonſtratio. tertia methodus mini-
ſtra, aut proficiſcitur à prioribus, vt diuiſio: aut à po-
ſterioribus, vt reſolutio. alij duas faciunt methodos
contrarias, vnam reſolutionis, alteram compoſitionis,
ſeu geneſεως. qui nomine reſolutionis inuētionem in-
telligunt, nomine verò compoſitionis diſpoſitionem.
nam reſolutione præcipiunt inueniēdas ita eſſe artes,
vt ex fine quærantur cauſæ efficientes materia, effe-
cta & quæ ſequuntur: qui inuentionis eſt ordo. Com-
poſitionem vocant cum res inuentæ ordine tradūtur,
quæ methodus eſt & diſpoſitio. alij tres faciunt me-
thodos vt Galenus initio artis paruæ, quæ ſunt: diui-
ſio, compoſitio, & reſolutio: vt diuiſio valeat ad cō-
firmandam memoriam, compoſitio ad tradendas artes,
reſolutio ad inueniendas & conſtituendas. in qua di-
uiſione illud eſt vitium, quod methodus componendi

& diuidendi aliquando concurrunt. fieri enim poteſt,
vt contrario ordine reſolutioni tota ars doceatur, per
diffinitiones tamen diuiſiones, & exempla: vt ars
Grammatica cum ad literas vſq; reſoluatur per par-
tes orationis, & ſyllabas, poteſt tamen eo ordine ex-
plicari, vt diffiniendo & diuidendo ab elementis ad
ſyllabas, à ſyllabis ad dictiones, à dictionibus ad ora-
tionem progrediatur. alij addunt methodum conſe-
quentium, & repugnãtium, ſimilium, & diſsimilium,
maiorum, minorum, & parium. de quibus ſuprà iudi-
catum eſt. hæc etiam ad has methodos iudicandas af-
ferri poſſunt, methodus cõſequentium ſi quem habet
locum in arte, referenda eſt ad methodum diffinien-
di, & demonſtrandi. ad methodum quidem diffinien-
di, cum colliguntur multæ proprietates abſq; proba-
tione, ad methodum verò demonſtrãdi, cum proprie-
tates demonſtrantur. methodus repugnantium non eſt
neceſſaria, quia rectum eſt index ſui & obliqui: neq;
methodus comparationis parium, maiorum, aut mino-
rum. nam qui nouerit quid vtraq; res ſit methodo dif-
finitionis, & quæ ſint vtriuſq; proprietates, intelli-
get vtra maior, vtra minor ſit. quod ſi vſum aliquem
afferunt, methodi non ſunt, ſed argumenta. metho-
dus ſimilium trifariam explicatur, primò in eſſentia,
cum res multæ in eadem natura conſentiunt ad ali-
quod explicandũ: vt nos docuimus omnia officia Dia-
lectici in eo ſimilia eſſe ſecundum eſſentiam, quod
præſtari non poſſunt ſine inuentione & diſpoſitione.
ſecundo in ſimilitudine externa, qua vtendum neceſ-





ſario eſt, cum res neq; ſenſu, neq; ratione percipi poſ-
ſe videtur: vt natura per ſe conſiderata nõ poteſt per-
cipi ſenſu, quia caret circunſtantijs: neq; ratione, quia
ratio perſuadet omne quod eſt aut eſſe vniuerſum, aut
ſingulare: percipietur igitur ſimilitudine externa
Crocodili. nam quemadmodum Crocodilus animal eſt
neq; terrenum, neq; aquatile, ſed terrenum cum in
terra degit, aquatile cum in fluuio, ſic natura per ſe
conſiderata nec vniuerſa eſt, neq; ſingularis, ſed vni-
uerſa, cum eſt in animi intelligentia, ſingularis verò,
cum in rebus ſingulis ſpectatur. tertiò methodus ſi-
milium & diſsimilium cernitur in diſtinguendis præ-
ceptis artiũ, ſint'ne vera, an ſimilia veris: ſint'ne pro-
pria, an ſimilia proprijs. de quo præcipit Ariſto. pri-
mo poſter. ignoratione huius methodi falluntur Rhe-
tores, qui credunt præcepta planè ſimilia eſſe vſui, vt
quemadmodum in vſu nemo poteſt eloqui ſine inuen
tione & diſpoſitione, ſic in præceptis artis Rheto-
ricæ non poſsit tradi elocutio, quin tradantur inuen-
tio & diſpoſitio: quæ partes tamen Dialecticæ ſunt.
Prima methodus ſimilium eſt argumentum à diuiſio-
ne: ſecunda argumentum à ſimili: tertia eſt exercita-
tio Dialectica, quæ fit cum argumento à ſimili, aut
diſsimili iudicamus de præceptis artium. quare metho
di non ſunt methodi eiuſdem & diuerſi, propriorum
& communium, quæ afferũtur à Galeno, eædem ſunt
cum prima methodo ſimilium & diſsimilium. nam ea-
dem & communia vocantur, quæ ſunt ſimilia, propria
verò & diuerſa, quæ diſsimilia. Ariſto. in præfatione



Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca



librorum de animo duas facit methodos: vnam demonſtrandi, alteram diffiniendi: & in extremo cap. 1. Metaphy. ſcribit omnem diſciplinam doceri per diffinitiones, aut demonſtrationem. in libris item Poſterio. vtranq; methodum docet primo quidem libro methodum demonſtrandi, ſecundo verò methodum diffiniẽdi. quæ diuiſio hac ratiõe colligitur ab interpretibus: aut quæritur natura rei, aut quæruntur conſequentia rei. natura rei explicatur diffinitione, conſequentia demonſtratione, ſed hæc diuiſio hoc habet vitium cõmune cum omnibus ſuperioribus, quod prætermittit methodũ prudentiæ, cuius maximus eſt vſus in artibus & in vita cõmuni. veræ igitur ſpecies methodi quærẽdæ ſunt: quæ nõ poſſunt aliunde melius colligi, quã ex cauſis, quæ faciunt collocationẽ argumentorũ & argumẽtationũ diuerſam. cauſæ autẽ propter quas diuerſa ſit collocatio, ſunt veritas & circunſtantiæ: vt innuit M. Antonius. 2. de oratore, cũ duplicem facit collocationẽ cauſarũ forenſium: vnam, quã affert natura cauſæ & veritas, alterã, quæ iudicio & prudentia oratorũ cõparatur. ſed quod ille ad cauſas tantùm forenſes retulit, nos ad totã artem transferamus. duæ igitur erunt ſpecies in cõmune methodi: vna, in qua collocantur argumẽta nuda, aut argumẽtationes nulla habita ratione circũſtantiarum, ſed ſolius veritatis: quæ vocetur methodus doctrinæ. altera, in qua collocẽtur argumẽta, aut argumẽtationes variè pro diuerſis circunſtãtijs rerũ, perſonarũ, locorũ, & temporũ: quæ nominatur methodus prudentiæ, non quod tota pru-



prudẽtiæ ſit, ſed quia minus habet artis, quàm altera. Vtriuſq; methodi duæ ſunt ſpecies: quæ colligũtur ex numero earũ rerũ, quæ faciũt collocationem: quæ duo tantũ ſunt argumẽta nuda. i. ſine probatione, & argumentationes. ſi argumenta nuda collocentur, vocatur methodus diffiniendi, aut diuidẽdi, quia etſi reliqua argumẽta in hac aliquãdo adhibentur, ſolæ diffinitiones & diuiſiones ſemper adhibẽdæ ſunt. ſi argumentationes methodus demõſtrandi. quare duplex erit methodus doctrinæ: vna diffiniẽdi, altera demõſtrãdi. & duplex methodus prudẽtiæ: vna diffiniẽdi, altera demõſtrãdi. methodũ diffiniẽdi appello nõ eã ſolũ, q̃ per diffinitiones & diuiſiones traditur, verũ eã etiã, in qua cætera argumẽta adhibẽtur, ſine probatione tamẽ: vt methodũ demõſtrãdi eã voco, in qua afferũtur argumẽta cũ probatione. P. Ra. methodũ demõſtrandi reijcit à Dialectica. ſine ratione tamẽ. nã cũ quæſtio coniũcta explicetur multis argumẽtationibus propoſitis, aut explicatur ſine methodo, aut cũ methodo. ſine methodo explicari ridiculũ eſt: ergo cũ methodo. nõ diffiniẽdi: q̃a nõ progredimur per diffinitiones tantũ, diuiſiones, & exẽpla: ergo alia methodo, quæ eſt demõſtrãdi. deinde in Eucli. legitur certus ordo demõſtrationũ, q ſi mutetur, nullã habebũt vim demõſtratiões. Euc. hic ordo, q̃a cõtinet tractationẽ argumẽtationũ, pertinet ad Dialecticã: nõ ad inuẽtionẽ, q̃a inuẽtio nihil diſſerit de ordine: ergo ad diſpoſitionem. nõ ad argumentationẽ, q̃a ordo ſpectatur in demonſtrationibus confectis: ergo ad methodum. non ad methodum pru-

Universidad de Deusto Biblioteca



prudentiæ, quia non laborat Euclides de circunſtantijs, ſed de ſola veritate eſt ſollicitus. ergo ad methodum doctrinæ: non diffiniendi, quia non traditur per diffinitiones, diuiſiones, & exempla. ergo ad methodum demonſtrandi: quæ planè diuerſa eſt. quamobrem ſine ratione Ramus methodum demonſtrandi prætermiſit, cum vel ſi neceſſariam eam non eſſe iudicaſſet, tradere tamen debuiſſet ad intelligendos ſcriptores omnes mathematicarum artium: vt Euclidem, Archimedem, Ptolomæum: & ad intelligẽdum Galenum, qui hac methodo mirabiliter vſi ſunt. Hæc credo cauſa fuit Ramo reprehendẽdi tam acerbè Ariſtotelem, quòd exiſtimaret ſolam eſſe methodum diffiniendi: quam qui non ſequeretur, nullam methodum ſequi iudicandus eſſet: cum Ariſtote. methodum demonſtrandi perpetuò ſequatur. quod ſi Ramus diligẽter comparaſſet præcepta methodi demõſtrandi, quæ ab Ariſtote. afferuntur primo poſteriorum libro, cum ſingulis eius libris, intellexiſſet profectò quam illuſtri methodo vſus fuerit Ariſtote. in rebus explicandis: neque repugnantem Ariſtotelem eo traheret vt methodo demõſtrandi vtendum ſemper illi eſſet. methodus doctrinæ diffiniendi per diffinitiones, diuiſiones, & exempla expreſſa eſt eleganter à Iuſtiniano in ſuis inſtitutionibus iuris prudentiæ, & à Ramo in inſtitutionibus Dialecticis. nullam enim habent rationem circunſtantiarum, ſed ſolum veritatis, & reliquarum virtutum Dialecticarum. methodum demonſtrandi doctrinæ ſecutus eſt Euclides: qui in vnam veritatem

ritatem



ritatem intuens, omnes demõſtrationes confecit. methodus prudentiæ diffiniendi expreſſa eſt à Cicerone in Partitionibus Oratorijs. habita enim ratione filij, vt intelligat illũ meminiſſe præcepta Rhetoricæ, quæ Athenis audiuerat, non tam veras diuiſiones Rhetoricæ affert, quàm congerit præcepta veterum Oratorum, vt ſupra explicatum eſt. methodus prudẽtiæ demonſtrandi apparet mirabititer in epiſtola M. Tullij ad Quint. Fratrem de adminiſtranda prouincia pro conſulari. atq; hæ quatuor ſunt ſpecies methodi. Porrò differentiæ methodi colliguntur aut ex ipſa methodo, aut ex ijs, quæ collocantur, aut ex modo collocandi. ex methodo methodus aut eſt propria, aut aliena, aut perſpicua, aut obſcura, aut communis, aut propria & ſingularis, aut facilis, & difficilis, aut prolixa, aut breuis. Ex ijs, quæ collocantur, methodus aut eſt diffiniẽs, aut demonſtrãs. Ex modo collocandi methodus aut eſt componens, aut reſoluens. methodus propria dicitur, quæ conuenit rei explicandæ: quæ nõ conuenit aliena. conuenire autem rei explicandæ intelligitur ex fine propoſito, & ex circunſtantijs: vt ſi propoſitum ſit conſolari hominem, qui vehementẽ dolore afflictetur, propria erit methodus prudentiæ demonſtrandi, cæteræ alienæ. perſpicua methodus dicitur quæ perſpicuo ordine rem explicat: contraria obſcura dicitur. quemadmodum Socrates reprehendit in Philebo Platonis orationẽ Lyſiæ. Obſcura methodus fit ſi multæ digreßiones inſerantur: quæ primum ſeparandæ ſunt, vt quæ ſit methodus totius operis intelligatur.

telligatur. indicãda tamen occaſio eſt, ex qua digreſſiones ſumuntur. communis vocatur methodus, quæ toti alicui diſputationi aut arti explicandæ accommodatur: propria, quæ vni tantùm parti conuenit: vt totius libri poſteriorum cõmunis eſt methodus demonſtrandi, capitis autem. 14. 2. Poſterio. propria eſt methodus diffiniendi. difficilis methodus fit, cum habenda eſt ratio multarum circunſtantiarum, præſertim repugnantium. methodus componens vocatur, cum progredimur à prioribus ad poſteriora: quæ quatuor modis dicitur. Primò, cum progredimur à partibus minoribus ad maiores, dum ad totũ perueniamus: hæc ſignificatio communis eſt methodo diffiniendi, & demonſtrandi: diffiniendi quidem, vt ſi quis Grammaticam docens primum de literis, deinde de ſyllabis, tum de dictionibus, & ad extremũ de oratione diſputet: methodo demonſtrandi: vt ſi Philoſophus diſputaturus de homine, methodo demonſtrandi diſſerat primũ de materia & forma, tum de quatuor elementis, deinde de humoribus, & ad extremum de partibus hominis, & de toto homine. ſecũda ſignificatio methodi cõponentis eſt eadẽ cũ methodo diuidendi, cũ à generalioribus ad ſpecialiora deſcendimus, de qua pòſt dicemus. tertio dicitur methodus demonſtrandi. quarto vocatur compoſitio, cum ea præcepta, quæ vltima in arte inuenta fuerunt, primum traduntur: quæ partim refertur ad methodum diffiniendi, partim ad methodum demonſtrandi: diffiniendi: vt cum collectis. 10. generibus argumentorum per reſolutionem, de





ijs prius diſputamus, quæ poſterius collecta fuerunt: vt de cauſis, & effectis. quæ ſi neceſſarijs argumentis confirmentur, erit methodus demonſtrandi. Methodus reſoluens dicitur cum à poſterioribus ad priora regredimur: quæ fit quatuor modis. primo cum totum diuidimus in partes maiores, tum in minores, dum ad elementa indiuidua perueniamus: quæ methodus eſt diuidendi. ſecundo vocatur reſolutio progreſſus à rebus ſingulis ad vniuerſas: vt Socrates, Plato, & reliqui homines ſunt animalia, quæ vtuntur ratione: omnis igitur homo animal eſt vtens ratione. hæc ſeruit methodo diffiniendi, vt docet Ariſtot. decimoquarto capit. ſecundi Poſterio. & inueniendis præceptis artium, vt tradit Plato in Philebo: & cognoſcendis principijs demonſtrationum, vt tradit Ariſto. vltimo cap. Poſter. tertia reſolutio vocatur, cum poſita quæſtione regredimur ad prima principia, & aliquod cõmune hominũ iudicium: quæ conuerſa eſt methodus demonſtrandi: & vocatur reſolutio mathematica. vt confecturus ſum Horologium ſolare, id fieri non poteſt niſi diſtinxero radios ſolis et vmbram lineis, quæ diſtingui commodè non poſſunt niſi in corpore plano: non cuiuſuis figuræ, ſed rotundæ. quæ omnia cùm inuenero, perfecta erit reſolutio, ſi omnia horologia conſentiant in notandis horis, & cũ fluxu aquæ, aut arenæ: quæ prima iudicia ſunt veritatis. Huius reſolutionis meminit Ariſtote. nono capit. primo Poſterio. quarto reſolutio dicitur conſtitutio artis, cùm ex notione finis regredimur ad principia: quam

Universidad de Deusto
Biblioteca



nos ſumus ſequuti in noſtra conſtitutione artis Dia-
lecticæ. atq; hæc de differentijs methodi. Porrò me-
thodi ſumuntur ex argumentis & argumẽtationibus,
ſi ita collocentur, vt certa ratio reddi poßit, cur
hoc primum ſit, illud ſecundum, aliud tertium, & quæ
ſequuntur. quæ ratio ordinis vocatur Epicriſis à Ga-
leno in libro de optima ſecta ad Thraſibulum, quæ fit
hoc modo, vt qua re primũ poſita altera ponitur, aut
qua re primum ſublata, altera tollitur, habita ratio-
ne finis ea primum collocetur. his ita conſtitutis, quæ
vis methodi ſit, docendum eſt. methodi ea vis eſt, vt
res ordine collocet, inutilia reijciat, diſperſa & varia
in vnum locum congreget: idq; faciat cũ tranſitione,
aut ſine tranſitione: tranſitio duplicem habet vim: ad
docendũ, cum admonet quid dictũ ſit, & quid docen-
dũ: & ad delectandũ. reficit enim auditorem trãſitio:
quæ aut eſt perfecta, aut imperfecta. perfecta cum re-
petit ſuperiorem diſputationem, & ſequentem pro-
ponit: vt hactenus de cauſis, nunc de effectis dicẽdum
eſt. imperfecta quæ proponit tantùm quid docendum
ſit. Expoſita vi methodi, ſupereſt vt doceamus quo
ordine methodis vtendum ſit. In conſtituenda arte a-
liqua, vtile eſt primum methodo demõſtrandi vti, de-
inde eandem artem methodo diffiniẽdi explicare. quẽ
ordinem nos ſequuti ſumus in explicandis libris Ari-
ſtotelicis. nam abſoluto quoq; libro, qui methodo de-
monſtrãdi explicatur, expoſita eſt à nobis anacepha-
leoſis, qua totam diſputationem libri diffinitionibus,
diuiſionibus, & exemplis complexi ſumus. Sed cum





docendi erunt auditores rudes, vtilius erit à methodo
diffiniendi, quæ facilior eſt, auſpicari. finis tandẽ pro-
poſitus ſi cõparetur cum circunſtantijs, quando vten-
dum ſit quaq; methodo, & quo ordine indicabit. nam
ſi in fine propoſito nulla habeatur ratio circunſtan-
tiarum, vtendum erit methodo doctrinæ: ſi habeatur,
methodo prudentiæ: ſi probandum aliquid ſit, metho-
do demonſtrandi. ſi nihil ſit probandum, methodo dif
finiendi. Adhuc de methodo in vniuerſum diſputatum
eſt, ſequitur vt de ſingulis formis methodi agamus. ac
primum de methodo doctrinæ diffiniendi, cuius tria
ſunt præcepta neceſſaria: primum, vt res diffiniatur:
ſecundum, vt cum res diffinita fuerit, diuidatur, pri-
mum in partes, deinde in ſpecies, pòſt in differentias.
tertium, vt illuſtrentur ſingulæ diffinitiones exem-
plis, vt à nobis diffinita eſt ſupra methodus, & diuiſa
in partes, nempe argumenta & argumentationes, &
in ſpecies, & differentias: quæ omnia illuſtrata exẽ-
plis perſectum exemplum methodi diffiniendi conti-
nerent. Ornatur tamen plerũq; alijs locis, qui hoc or-
dine collocari ſolent vt primum de nomine, deinde
de re diſputetur. de nomine docenda eſt diſtinctio
ambiguitatis, vſus ſignificationis apud veteres & e-
tymologia. Vtendum autèm eſt nominibus proprijs
cuiuſq; rei: quæ ſi deſunt, faciẽda nomina ſunt ex vno
eorum locorũ, ex quibus ſuprà indicauimus etymolo-
giam duci vt facit Ariſtote. capit. de relatis. quod ſi
hæc fieri commodè non poſſunt, vtendum diffinitio-
nibus, aut circuitiõe pro nominibus: vt methodus do-

Universidad de Deusto Biblioteca



ctrinæ diffiniendi appellatur à nobis, quia caremus nomine proprio quo appelletur. quod ſi tranſlatis nominibus vti aliquando cogamur, non ſunt ea adhibenda, quæ ex alijs tranſlatis transferuntur, ſed quæ ex propria ſignificatione in alienã traducta ſunt. in ambiguitate autem nominis explicanda non omnes ſignificationes perſequendæ ſunt, ſed eæ tantùm, quæ habuẽt aliquid commune cum ea ſignificatione, de qua propoſitum eſt diſputare. ita Porphyrius non omnes ſignificationes generis perſequitur, ſed eas tantùm, quæ habent aliquam ſimilitudinem cum genere dialectico. hæc præcepta de nomine nos expreſſimus in hac diſputatione de methodo, cũ primum docuimus vnde diceretur methodus, & qua ratione, quotq́; modis ſumeretur. In explicatione nominis, ne quis locus relinquatur dubitationi ſi res multis nominibus appelletur ſingula iudicanda ſunt, & qua ratione, & à quibus autoribus vſurpetur: vt diſputaturus de diffinitione dicet. diffinitio vocatur ab Ariſtot. terminus, ſumpta metaphora à terminis agrorum: quia concludit rem intra ſuam eſſentiam. Qua etiam ſignificatione vocatur à Quintiliano finis. dicitur etiam diffinitio: quia intra ſuam eſſentiam definit. dicitur ratio quia dicit qd res ſit. dicitur qđ quid erat eſſe, à re ſubiecta quã explicat. Explicationẽ nominis ſequitur diffinitio: quæ duplex eſt, vna notionis, altera rei, vt ſuprà docuimus. diffinitio notionis explicanda primùm eſt in quaq; diſputatione: quia eſt arbitra & iudex diffinitionis rei, vt docet Galenus quarto lib. de dif-





ferentijs pulſuum. nam qui notionem nouit cuiuſque rei, id eſt, qd ſignificetur apud omnes eo nomine rei, is facile aſſequetur eſſentiam. quod ſi aliquando ex nomine ipſo non intelligatur ſatis quæ notio ſit, cognoſci poterit ex cõtrarijs, aut ex cõiugatis, aut aliũde: vt explicat notionẽ ægritudinis ex notione ſanitatis, & ægrotantium: ſanitas tunc dicitur vulgò in corpore eſſe, cùm ſunt actiones naturales integræ, & tum ægrotare hominem omnes vulgò dicimus, cùm habet læſas actiones naturales. quare ægritudinis notio erit, cùm actiones naturales erunt læſæ. Ad diffinitionem rei inueſtigãdam duas affert methodos Ariſtote. 14. capit. ſecundi Poſterio. vnam diuidendi, alteram reſoluendi. diuidẽdi: vt à primis generibus per differentias ſemper proximas deſcendendo colligamus diffinitionem rei: quam methodum multis exemplis illuſtrat Plato in Ciuili. Cauendum etiam illud eſt vehementer in hoc ordine diuidendi, ac vno verbo in omnibus diuiſionibus, quæ in arte afferuntur, ne qua diuiſio media à nobis prætermittatur: nõ prætermittetur autem, ſi omnis res diuiſa contineatur ſub partibus diuidentibus: vt ſi dicam animalium aliud habet pennas continuatas, aliud ſciſſas, non eſt prima diuiſio, quia non conuenit omni animali, ſed volatili tantũ. at ſi dicam animalium aliud habet ſanguinem, aliud caret ſanguine, prima diuiſio eſt, quia omne animal hac diuiſione cõtinetur. Altera methodus inueſtigandæ diffinitionis eſt reſolutio ſecunda ſignificatione: quæ in rebus ſingulis aliquem habet locum, vt docet

Universidad de Deusto
Biblioteca



Ariſtote. 14. capit. ſecundi Poſterio. ſed videndum
in hac methodo eſt, ſit'ne vna ratio communis ſingu-
larium, an diuerſa. nam ſi vna ſit, vna erit diffinitio: ſi
diuerſæ, erunt ſpecies & diffinitiones diuerſæ: vt in
exemplo Ariſ. Alcibiades, Aiax, & Achilles magna-
nimi dicuntur fuiſſe, quia iniurias æquo animo non tu-
lerunt: Socrates verò, Lyſander, & Diogenes dicũ-
tur magnanimi fuiſſe, quia conſtantes in vtraq; fortu-
na fuerunt: quare duæ ſpecies magnanimitatis de ſen-
tentia Ariſt. erunt colligendæ: quarum vna ſic diffi-
nietur, virtus qua iniurias illatas non ſuſtinemus æquo
animo: quæ virtus impia eſt & ethnica. altera ſic dif-
finietur, virtus qua ſumus conſtantes in vtraq; fortu-
na. hac methodo poſſent colligi ex ſacra hiſtoria ſpe-
cies & genera virtutum comparatis inter ſe exem-
plis ſingularibus, vt comparatis inter ſe viris fortibus
vtriuſq; inſtrumenti ex rebus geſtis illorum, ex fine,
cauſis efficientibus, & circunſtantijs poſſet colligi
perfecta diffinitio fortitudinis. hac ratione collecta
fuit Philoſophia moralis ex hiſtoria. reſolutio ſi fiat
ex formis vniuerſis ad diffiniendum genus, quod præ-
cipit Ariſtote. incerta methodus erit. nam poſtulat
quod quæritur. etenim diuidendum primò genus eſt
in ſuas formas, deinde ex communi natura formarum
colligenda diffinitio generis, vt ille ait. genus autem
in formas diuidi non poteſt, niſi antea cognita fuerit
diffinitio generis: vt pòſt intelligetur, cum de colli-
gendis formis cuiuſq; rei diſputabimus. ergo poſtulat
diffinitionem generis, quam inquirit. nullum igitur
vſum



vſum afferet hæc reſolutio, ſi à rebus vniuerſis ſuma-
tur: affert hunc vſum, vt cum diffinitiones rerum vni-
uerſarum circuitionibus pro generibus & differentijs
expreſſæ fuerint, ſi diffinitio generis expreſſa non ſit,
ex communi natura formarum colligatur. vt cum A-
riſto. in categorijs ſubſtantiam non diffiniuerit, colli-
gi tamen poteſt eius diffinitio ex deſcriptione ſub-
ſtantiæ primæ et ſecũdæ: ſubſtantia prima deſcribitur,
quæ neq; eſt in ſubiecto, neq; dicitur de ſubiecto: ſub-
ſtantiæ ſecundæ, quæ dicũtur de ſubiecto, & non ſunt
in ſubiecto. commune autem vtrique deſcriptioni eſt,
non eſſe in ſubiecto: deſcribetur certè ſubſtantia, quæ
non eſt in ſubiecto. Eodem modo cum accidens vniuer-
ſum diffiniatur, quod ineſt in ſubiecto, & de ſubie-
cto dicitur, & ſubſtantia vniuerſa, quæ dicitur de
ſubiecto, non eſt tamen in ſubiecto, commune autem
vtriq; ſit de ſubiecto dici, certè diffinietur vniuer-
ſum, quod de re ſubiecta dicitur. Explicata methodo
vtraq; diffiniendi, ſequitur tertius locus methodi dif-
finiendi, qui eſt diuiſio: quæ triplex eſt; prima in par-
tes, ſecũda in formas, tertia in differẽtias. in diuiſione
partiũ accidit plerũq;, vt vnius partis nomẽ nõ ſit ge
nerale, ſed per analogiã dicatur. in quo faciendũ no-
mẽ eſt quod ſit cõmune, aut afferẽda circuitio quæ cõ
munẽ proportionẽ contineat: qualis eſt hæc circuitio
pars ſolida, qua firmantur carnes: quæ ſecundũ analo-
giã dicitur de ſpina piſciũ, de ſepio ſepiarũ, & de oſſi
bus reliquorũ animaliũ. altera diuiſio eſt gñris in for
mas: formæ, quæ ſint, hac methodo intelligitur. poſita
 diffinitione

Universidad de Deusto
Biblioteca



diffinitione generis, intelligitur ex numero cauſarũ,
quæ mutant eſſentiam generis: vt nos ſuprà fecimus
in colligendis formis methodi: ſed alia exempla ſub-
ijciamus ſi virtus diffiniatur ſymmetria partiũ animæ
ſecundum naturam, id eſt, cum partes expertes ratio-
nis ſubijciuntur rationi, quia partes expertes ratio-
nis duæ ſunt, ira & cupiditas, duæ erunt primæ ſpe-
cies virtutum, vna fortitudo, qua ſubijcitur rationi
facultas iraſcendi: altera temperantia, qua ſubijcitur
rationi cupiditas. aliud exemplum huius præcepti cũ
intemperies diffiniatur ametria primarum qualitatũ,
primæ autem qualitates quatuor ſint ſimplices, &
quatuor coniunctæ, octo certè erunt ſpecies intem-
periei: quatuor ſimplices, & quatuor coniunctæ. Ter-
tia diuiſio eſt in differentias. differentiæ autem hac
ratione colligendæ ſunt, vt poſita diffinitione generis
colligantur ex re quæ facit, ex re quæ fit, & ex mo-
do efficiendi: vt nos fecimus in colligendis differẽtijs
cauſarum, & methodi. neq; verò ex ijs locis tantùm
colligendæ ſunt differentiæ, verum etiam aliquando
ex reliquis generibus cauſarum, ex partibus, ex re-
bus ſubiectis, & ex adiunctis: vt ex fine morbi alij ſa-
lutares, alij lethales. ex forma vt animal aliud parti-
ceps rationis, aliud expers. ex cauſis efficientibus vt
Plinius diuidit arbores in eas quæ ſponte naſcuntur,
aut ex ſemine, aut ex radice. ex materia: vt animalia
alia habent ſanguinem, alia carent ſanguine. ex par-
tibus: quemadmodũ aues diuiſit Plinius in eas quæ ha
bent aducos vngues, aut digitos, aut ſunt palmipedes.





ex rebus ſubiectis: vt animalia alia terrena, alia a-
quatilia, alia volatilia, alia amphibia. ex adiunctis: ani-
malium aliud ferox, aliud manſuetum. in ſingulis au-
tem diuiſionibus eo vſq; progrediendum eſt, dum ad
indiuiduas partes, aut formas, aut differentias venia-
mus. In ſigulis item partibus, formis, & differentijs
habenda ratio nominis, vt etymologia & ambiguitas,
ſi qua ſit, doceatur: et q̃d quæq; ſit diffinitione aperiẽ-
dum eſt. Quartus locus eſt effectorum: in quo doce-
mus quæ vis cuiuſq; rei ſit, ac præſertim qui vſus. in
quo laborandum eſt vehementer ei qui tradit artem,
vt omnium præceptorum vſum declaret. Sic Ariſtot.
diſputat de partibus animalium, vt vſum ſingularum
doceat. Sic & Galenus facit in libris de vſu partium.
Sic & nos explicationem argumentorum illuſtraui-
mus expoſito vſu Oratorio. Quintus locus continet
res ſubiectas, & adiunctas. Sextus locus in methodo
diffiniendi erit cauſarum: in quo explicabuntnr om-
nia genera cauſarum, & differentiæ, quæ fuerint
cuiq; diſputationi neceſſariæ. neq; enim ſemper om-
nes deſiderantur: vt in rebus moralibus ſatis eſt cau-
ſam efficientem, & finem docuiſſe. in naturalibus re-
liquæ etiam cauſæ explicandæ ſunt. Hunc ordinem ſe-
quuti ſunt Ariſto. & Theophraſtus. nam Ariſto. poſt
expoſitam hiſtoriã animalium, quæ genera & diffe-
rentias eorũ continet, de partibus & cauſis eorum
diſputauit in libris de partibus, & ortu animalium.
Sic Theophraſtus expoſita hiſtoria plantarum, de
cauſis plantarum diſſeruit. Galenus in libris de fa-

Universidad de Deusto Biblioteca



cultatibus ſimplicium medicamentorum contrarium ordinem ſequitur. neq; mirum: nam ſcribit ille aliam eſſe rationem Philoſophorum diſputandi de plantis, aliam medicorum. Georgius item Agricola in explicatione rerum metallicarum diſputationem cauſarum anteponit hiſtoriæ commodius, vt ille credit, diſputaturus eo ordine de rebus metallicis. cauſæ autem explicandæ ſunt non ſolum rerum ipſarum, ſed etiam mutationum, effectorum, & qualitatum adiunctarũ, ſed in hac cauſarum explicatione exponendum eſt, quo modo quæq; res cauſa fiat. nam indiget aliquando externis præſidijs, vt cauſa efficiatur: qualia ſunt opportunitas loci & temporis, & alia multa, quæ quiſq; artifex perſequi debet, cum hanc generalem explicationem cauſarum ſuæ arti accommodat. Septimus additur à pleriſq;, in quo comparantur res, vt quid habeant inter ſe commune, aut in quo differant, doceamur. quod facit Porphyrius in ſuis communitatibus: ſed hic locus neceſſarius non eſt. nam qui nouerit ſuperiores locos, facile ſine alio præſidio cognoſcet, quid commune habeant res inter ſe, & in quo differant: vt ſi nouero diffinitiones generis, & differentiæ, quæ afferuntur à Porphyrio, intelligam cõtinuò illud habere commune genus & differentiam generalem, quod de multis dicantur, ijſq; differentibus ſpecie, in eoq; differre, quòd genus in quæſtione naturæ, differẽtia verò in quæſtione qualitatis dicatur. Sed aliquando in quo differant neceſſario indicandũ eſt, ne maxima rerum ſimilitudine perturbemur: ſed

cum



cum aperta fuerit rerum diſſimilitudo non erit opus hac diligentia. in cauſis, effectis, ſubiectis, adiunctis ſequendus hic ordo eſt, vt expoſitis formis & differentijs cuiuſq; rei, primum explicẽtur cauſæ, effecta, ſubiecta, adiuncta generis in vniuerſum, deinde ſingularum formarum, & differentiarum, quo ordine poſitæ fuerunt. huius præcepti exempla prolixa ſunt, neq; poſſunt hoc loco afferri, nos tamen multa perſequimur hoc ordine in inſtitutionibus noſtris Phyſicis. Atq; hæc de methodo diffiniendi doctrinæ.

De methodo demonſtrandi aliàs diſſeremus.] in libello de conſtitutione artis Dialecticæ quia tyronũ cauſa ſcriptus eſt nihil diſſerui de methodo demonſtrandi. Methodus doctrinæ demõſtrandi conſtat tota ex principijs & demonſtrationibus. De principijs igitur, & demonſtratione ſeparatim diſſerendum eſt. principium demonſtrationis voco, quod affertur ad demonſtrationem conficiendam: cuius duo ſunt genera. vnum eorum, quæ antea demonſtrata non ſunt. alterum eorum, quæ ſunt demonſtrata. quæ non ſunt demonſtrata, aut poſſunt demonſtrari, aut non. quæ non poſſunt demonſtrari ſunt prima initia & elementa totius artis: quæ totam artem præcedunt, aut partem aliquam artis: qualia ſunt elementa primi libri Euclidis, tertij, quinti, ſeptimi, & aliorum. hæc aut per ſe ipſa nota ſunt, aut indigẽt aliqua expliatiõe. quæ per ſe ipſa nota ſunt vocantur axiomata ab Euclide & Ariſtotele, vt axioma eſt, omne totum eſt maius ſua parte. quamobrem improbandus Apollonius, qui co-

 natus

Universidad de Deusto Biblioteca



ñatus eſt demonſtrare hoc axioma, quæcunq; ſunt paria vni tertio, ſunt paria inter ſe : nihil tamen effecit. nam obſcura probatione vſus eſt: quam qui volet noſſe, legat tertium librum, commentatiorum Procli. in primũ Eucli. neq; verò axiomata illa duo erunt, quæ à Pappo demonſtrantur: ſi æqualibus æqualia addãtur, quæ reliquuntur ſunt æqualia: et illud, ſi inæqualibus æqualia addas, quæ ſuperſunt ſunt inæqualia: & illud ſi ab inæqualibus æqualia auferas, quæ ſuperſunt ſunt inæqualia. neq; axioma etiã eſt, omnes angulos rectos æquales inter ſe eſſe: ſiquidem demõſtratur à Proclo. neq; illud alterum, ſi in duas rectas recta cadens, & quæ ſequuntur. nam demonſtratur conuerſum ab Euclide, & multas habet dubitationes, quas Ptolomæus libello quodam ſeparatim edito conatus eſt diſſoluere. axiomata alia ſunt communia omnibus artibus, alia multis artibus, alia propria vnius artis. communia omnium artium ſunt illa duo axiomata, quæ Ariſtote. affert capit. octauo, primi libri Poſterio. quorum vnũ eſt aiens, in quauis re dicitur affirmatio, aut negatio: alterũ negans, de nulla re ſimul dicuntur affirmatio & negatio. ſecundi vſus eſt, cùm incidunt duæ res demonſtrandæ, quibus diuerſa ratione cõtraria videntur conuenire: vt mundus finitus et infinitus dicitur à Philoſophis diuerſa ratione. ne quis igitur ſibi perſuadeat vtrunq; illi conuenire, hac ratiocinatione vtendum eſt: omne corpus conſtans ex quatuor elementis eſt finitum, & non eſt non finitum: mundus autem talis eſt; ergo eſt finitus, & non eſt non finitus.

Primi



Primi eſt maximus vſus in demonſtratione ad incommodum. Communia ſunt multarum artium: qualia ſunt illa quæcunq; ſunt æqualia vni tertio, ſunt æqualia inter ſe. quæ conueniunt Geometriæ & Arithmeticæ. Axiomata, quæ ſunt communia, fiunt propria cuiuſq; artis, cum adhibentur in demonſtratione: vt in primo Problemate Euclidis perinde eſt dicere, quæcunq; ſunt æqualia vni tertio, ſunt æqualia inter ſe, ac ſi dicas quæcunq; lineæ ſunt æquales vni tertiæ, ſunt æquales inter ſe. axiomata propria ſunt. vt illud medicum, contraria cõtrarijs curantur. prima initia, quæ indigent aliqua explicatione, aut ſunt hypotheſes ſimpliciter, aut diffinitiones, quemadmodum diuidit Ariſtote. ſecundo. capit. 1. Poſterio. hypotheſim ſimpliciter voco ſecutus Ariſtotelem octauo. capit. 1. Poſteri. vt diſtinguam ab hypotheſi diſcentis, de qua pòſt diſputabo, hypotheſis ſimpliciter eſt primum principium, quod demonſtrari non poteſt, ſed explicatione aliqua indiget: quod vocatur ab Euclide poſtulatum. diffinitio quid ſit, ex ſuperiori diſputatione conſtat. Porrò autem inter axioma & poſtulatum illud intereſſe voluit Ariſtote. octauo. capi. 1. Poſte. quòd poſtulatum demonſtrari poßit, & ab audiente non concedatur, axioma verò non demonſtretur: ſed Ariſtote. alia ſignificatione vſurpat nomen poſtulati, atq; Euclides. alij ita diſtingunt, vt axiomata ſint communia multarum artium, poſtulata verò propria cuiuſq;. dißimilitudo, quæ affertur à Gemino, conuenit cum demonſtrationibus Euclidis: vt axioma poſitum ſit in

tum ſit in

Universidad de Deusto
Biblioteca



tum ſi cognitione, poſtulatum in actione. nam Euclides adfaciendam deſcriptionem figuræ, quæ vocatur κατασκευὴ, id eſt, conſtructio, ſemper vtitur poſtulatis, ad explicandam verò demonſtrationem adhibet axiomata, vt cernere licet in demonſtratione primi Problematis. hæc diſsimilitudo appoſitè conuenit Euclidi, ſed quæ primum poſita eſt à nobis inter axioma & hypotheſim ſimpliciter generalis eſt, & omnium artium communis. Diffinitio bifariam in demonſtratione adhibetur: aut conuerſa, aut non. conuerſa dicitur, cum pars ſubiecta enunciationis eſt diffinitio, & pars attributa res diffinita: quo genere diffinitionis vtitur Euclides plerunq;. vt in Theor. 17. lib. 10. vtitur conuerſione ſeptimæ diffinitio. & . 10. diffinitiones item cum diuerſis in locis in eodem libro adhibentur, dicuntur aut primæ, aut ſecundæ, aut tertiæ & ita deinceps: vt in decimo libro Euclid. ſunt primæ diffinitiones, & ſecundæ binomiorum, & tertiæ reſiduorum. ſic aliquando leges demonſtrationem fieri per primas diffinitiones, aut per ſecūdas, aut per tertias. Expoſitis principijs, quæ non poſſunt demonſtrari, ſequitur vt ea principia doceamus, quæ etſi antea demonſtrata non ſunt, demonſtrari tamē poſſunt. hæc tria ſunt: Lemma, hypotheſis diſcentis, & poſtulatum. Lemma eſt propoſitio incerta, quæ affertur ad demonſtrationem, cum antea demonſtrata non fuerit, quæ tamen ſeparatim demonſtratur. Lemmata aut demonſtrantur ante concluſionem, aut poſt concluſionem. ante concluſionem, vt Lemma quod præcedit

Theorema



Theorema decimumnonum libri decimi Euclidis: aut ſequitur concluſionem, vt illud Ariſtotel. 6. capit. 1. Poſterio. Demonſtratio conſtat ex neceſſarijs. nam cum ad demonſtrandum omnem demonſtrationem cōſtare ex ijs quæ ſunt per ſe ſumpſiſſet hoc Lemma, omnis demonſtratio conſtat ex neceſſarijs hoc pòſt demonſtrauit: & Euclides ſæpè. Hypotheſis diſcentis eſt enunciatum conceſſum, quod ſumitur non demonſtratum, cum aliquando poſsit demonſtrari. poſtulatū iudicio Ariſtote. eſt enunciatio conceſſa ab auditore repugnante, quæ poſtea demonſtratur. principia, quæ antea demonſtrata ſunt, diuiduntur in tria genera: in cōſtructionem, propoſitionem, & conſectarium. Cōſtructio eſt confectio alicuius operis, quæ demonſtratur per poſtulata, ad futuram demonſtrationem: vt in primo Problemate Eucli. deſcriptio trianguli intra duos circulos: ſic leges plerunq; in demonſtrationibus Eucli. probari aliquid per conſtructionem. Propoſitio eſt concluſio demonſtrata: hinc leges in demonſtrationibus Eucli. tertiam propoſitionē probari per ſecundam, quartam per tertiam. propoſitiones aliæ ſunt ſimplices, aliæ coniunctæ. ſimplices ſunt, quæ ex vna re ſubiecta & attributa conſtant: vt omne triangulum habet tres angulos æquales duobus rectis. iuncta eſt, quæ aut conſtat ex multis rebus ſubiectis & conceſsis, & vna re quæſita: vt diameter circuli & quadrati facit ſectionem in duas partes æquales: aut conſtat ex vna re conceſſa, & multis quæſitis: vt triangulorum æquicrurorū anguli, qui ſunt ad baſim,

ſunt

Universidad de Deusto
Biblioteca



ſunt æquales, & productis lineis rectis æqualibus an-
guli, qui fiunt ad baſim, ſunt æquales : aut conſtat ex
re conceſſa & attributa coniunctis : vt diametri cir-
culorum, & defectus angulos biſariam ſecant, & li-
neas, quæ continent angulos. Ex propoſitionibus iun-
ctis quędã poſſunt diuidi in ſimplices propoſitiones,
aliæ non, diuidi poſſunt: vt illud Theorema, triangu-
la & Parallelogramma, quæ ſub eadem altitudine
ſunt, eandem habent rationem cum baſibus. nam po-
teſt diuidi in hæc duo: triangula, quæ ſub eadem alti-
tudine ſunt, habent eandẽ rationẽ cũ baſibus, & ſimi-
liter Parallelogrãma. hæc diuiſio propoſitionũ neceſ-
ſaria eſt, vt intelligamus nõ ſolũ fieri demonſtrationẽ
per integram propoſitionem, ſed etiam per ſingulas
partes, ſi iuncta fuerit propoſitio. vt Euclid. demon-
ſtrat Theorema. 18. libri. 10. per ſecundam partem
decimæ ſeptimæ propoſitionis. 6. lib. vt Ariſtote. 2.
capit. 1. Poſterio. demonſtrat demonſtrationem con-
ſtare ex prioribus & notioribus, per vnam partem
primi Theorematis, quia conſtat ex cauſis. Conſecta-
rium eſt propoſitio, quæ ex concluſione demonſtra-
ta tanquam fœnus quoddam colligitur. Conſectario-
rum autem quatuor ſunt genera: conſectarium Theo-
rematis, Problematis, Poriſmatis, & Lemmatis. quæ
ſingula, quid ſint, pòſt explicabimus. per conſectariũ
Problematis ſecundi libri ſeptimi. demonſtrat Eu-
cli. propoſitionem tertiam eiuſdem libri: per cõſecta-
riũ Theorematis. 4. li. 5. demonſtrat Eucli. Theorema
11. li. 10. per conſectariũ Poriſmatis. 3. li. 10. demon-
ſtrat



ſtrat Eucli. propoſitionẽ quartam. 10. per conſecta-
riam primi Lemmatis. 28. 10. demonſtrat Eucli. pro-
poſitionem. 29. 10. Atq; hæc de generibus princi-
piorum. Hæc ſunt, quæ dicuntur præcognoſci : quæ
vt certius intelligantur, quomodo præcognoſci de-
beant, explicandus eſt ordo quæſtionum. Quæſtiones
aliæ ſimplices, aliæ iunctæ. Simplices duæ ſunt an res
ſit, & quid ſit: iunctæ duæ item, an hoc ſit illud, &
cur hoc illud ſit. in quibus hic eſt ordo, vt prima ſit
quæſtio an eſt, ſecũda quid eſt, tertia an hoc ſit illud,
quarta cur hoc illud ſit. quare ad explicandam quæ-
ſtionem quid eſt, præcognoſcendum eſt rem eſſe, &
ad demonſtrandum hoc illi conuenire, præcognoſcen-
dum eſt, quod ſubiectum, quidq; attributũ ſit, id eſt,
diffinitiones ponendæ ad demonſtrationem explican-
dam. quod ſi quæratur, cur hoc illud ſit, poſtulandæ
ſunt non ſolùm quæſtiones ſimplices, verùm etiam
tota quæſtio coniuncta, an hoc illi conueniat: vt præ-
cipit Galenus faciendum eſſe in ſexto de mor. vulga-
ribus com. primo ex precepto Ariſtote. ſecundo Po-
ſterio. quem ordinem nos ſequuti ſumus in prælectio-
nibus Problematum Ariſtot. vt primum diffinitiones
vocum obſcurarum explicaremus, deinde poſtulatũ
demonſtraremus : vt in hoc problemate, cur mutatio
temporis parit morbos, poſtulatum eſt mutatio tem-
porum parit morbos, neq; verò ſemper explicanda
ſunt hæc præcognita, ſed cùm res poſtulat & obſcu-
ra ſunt. Ex hoc ordine præcognitionũ, & ex princi-
pijs collegit Proclus acutè ſex partes obſeruandas
eſſe

Universidad de Deusto
Biblioteca



eſſe in explicandis propoſitionibus Euclid. nempe
propoſitionem, expoſitionem, determinationem,
conſtructionem, demonſtrationem, & concluſionem,
etſi nõ ſemper hæ ſex neceſſariæ ſunt. Propoſitio eſt
quæ continet cõceſſum & quæſitum: vt ſupra datam
rectam lineã triangulum æquilaterũ conſtituere. ex-
poſitio eſt, cum explicantur, quæ præcognoſcẽda ſunt
de re ſubiecta, aut conceſſa: vt quid ſit data recta li-
nea. Determinatio eſt, quæ exponit quæ præcogno-
ſcenda ſunt de re quæſita: vt in exemplo propoſito,
quid ſit triangulum æquilaterum. Conſtructio ſuprà
à nobis diffinita eſt. eſt autem in hoc problemate con-
ſtructio, deſcriptio trianguli intra duos circulos, quæ
fit per primum & tertium poſtulatum. Demonſtra-
tio quæ ſit pòſt intelligetur. concluſio ad propoſitio-
nem redit, confirmans rem demonſtratam. Porrò au-
tem principia demonſtrationum ex duobus initijs ſu-
muntur: ex ſenſu & ex ratione, vt Galenus innume-
ris locis docet. Pleriq; Philoſophi hæc inſtrumenta
ſuſtulerunt: ſed falsò. nam ſenſus & ratio, quæ inſunt
in nobis inſtrumenta ſunt veri iudicandi. Academici
verò concedunt in nobis has eſſe facultates, negant
tamen per has poſſe iudicari verum, quia plerunq; fal-
luntur ſenſus & ratio. ſed falsò: nam ad emendandos
errores noſtræ cognitionis inuentæ ſunt artes: eſt igi-
tur aliquod iudicium veritatis. Quia conſtat vnde ſu-
mantur principia, exponendum eſt quæ ſint illorum
proprietates. Principiorum proprietates aut ſunt cõ-
munes, aut propriæ demonſtrationis. communes, prin-





cipia vera eſſe, & neceſſaria. Principia demonſtra-
tionum debent eſſe vera, vt ait Ariſtote. prima, ſine
medio, cauſæ concluſionis, priora, notioraque con-
cluſione. Vera eſſe iudicamus ex conſenſu orationis
cum rebus, vt declarat Ariſt. cap. de ſubſtantia: quid
res ita ſe habet, vera eſt oratio. rerum autem, quæ
comprehendũtur, quatuor ſunt genera, vt tradit Ga-
lenus in libello de optima ſecta: primũ res per ſeipſas
notæ ſenſibus, vt colores: ſecundum, res notæ ſenſibus
per ſigna, vt tempeſtas ventura per nubes rubentes:
tertium, res per ſeipſas perſpicuæ intelligentiæ, vt o-
mne totum eſt maius ſua parte: quartum res, quæ per
probationem oſtendũtur, vt homo eſt natus ad riſum.
Iudicium primi generis rerum fit ſenſu. cui neq; pla-
nè credendum eſt, vt volunt Epicurei. nam aqua ma-
rina, cum ſenſu iudicetur humida eſſe, exiccat tamen.
neq; negãda fides ſenſuum eſt, vt voluit Democritus:
qui dixit nullam rem coloratam natura eſſe, ſed lege,
id eſt, quod nobis talis videretur. Iudicium autẽ ſen-
ſuum fit tribus rebus cuſtoditis: quarum prima eſt, vt
ſit ſenſus valens & integer: ſecunda, vt ſimus in eo
ſenſu exercitati: tertia, vt teneamus modum adhiben-
di ſenſus. Rerum ſecundi generis iudicium fit obſer-
uatione. Obſeruatio autem eſt frequens & aſsidua
cognitio rei, quæ ſenſu percipitur: vt iudicamus ven-
turam tempeſtatem ventorum, quia nubes rubent in
occaſu: hoc enim obſeruatum eſt cùm fit, ſequi vẽtos.
Tertium genus rerum iudicatur ex communi hominũ
conſenſu. vt Ariſtot. iudicat diffinitionem τοῦ ſcire ve-

Universidad de Deusto Biblioteca



ram eſſe ex conſenſu plebeiorum & ſapientũ. Quar-
tum genus rerum iudicatur per conſenſum cum ijs
rebus, quæ ab omnibus conceduntur: rerum autem,
quæ conceduntur ab omnibus, tria ſunt genera: pri-
mum, quæ perſpicuæ ſunt intelligentiæ, quæ commu-
ni hominum conſenſu approbantur: vt omne totũ eſt
maius ſua parte. ſecundum ſunt res perſpicuæ ſenſi-
bus. Tertiũ, res demõſtratæ: vt nos iudicaturi de in-
ſtrumentis Dialectici vſi ſumus duobus officijs, quæ
antea demonſtrata fuerant. quod ſi res vera iudicanda
ſit, quæ neq; ſenſu, neq; ratione comprehendatur, iu-
dicandum eſt ſimilitudine aliqua, aut autoritate: vt
res diuinæ quæ ſuperant omnem rationem ingenij no-
ſtri, iudicantur veræ eſſe autoritate diuina. Propriæ
proprietates aut conueniunt tantùm primis demon-
ſtrationibus, aut omnibus. primis tantùm prima & im-
mediata. Prima & immediata principia demonſtra-
tionum dicuntur eſſe non omnia, ſed ea ad quæ fit vl-
tima reſolutio. diſſoluitur enim demonſtratio in ſuas
ſumptiones, dum ad eas regrediamur, quæ probari nõ
poſſunt: vt pòſt explicabimus. proprietates commu-
nes omnium demonſtrationũ vt quæ ſequũtur vt ſint
primùm cauſæ, non ſolùm concluſionis, verùm etiam
rei: quæ autem ſumũtur ex fine præſtantiora ſunt re-
liquis. non ſolùm autem ex fine, ſed etiam ex reliquis
cauſis ſumi poſſunt. Debent etiam principia demon-
ſtrationum conſtare ex ijs quæ dicuntur per ſe, &
vniuersè. dicuntur autem per ſe bifariam, aut cùm at-
tributum intrat diffinitionem rei ſubiectæ, vt homo
eſt



eſt particeps rationis: aut viciſsim, vt homo eſt natus
ad riſum. quæ ſolæ duæ ſignificationes in demonſtra-
tione adhibendæ ſunt. Vniuersè verò dicuntur, cùm
attributum effertur de omni, per ſe, & primò. Qua-
re hoc non erit principium demonſtrationis, homo
eſt natus ad ſentiendum: quia inter hominem & ſen-
ſum medium eſt animal. Debent etiam principia pro-
pria eſſe cuiuſq; demonſtrationis & artis. nam etſi
communia aliquando ſunt, fiunt tamen propria, cùm
adhibentur in demonſtratione: vt ſuprà explicaui-
mus. Principia tamen vnius artis poſſunt alteri con-
uenire, ſi vna ſit alteri ſubiecta: vt ſcientia de ho-
mine ſubiecta eſt ſcientiæ animalium: & omnino prin
cipia ſuperioris conueniunt inferiori, cùm inferior
ars dicitur ſubalternata, vt philoſophi loquuntur
ſuperiori. Inter ſubalternantem autem & ſubalter-
